Bibl. cong. S. mauri Rome ... 1688

ORIGINES EQVESTRIVM SIVE MILITARIVM ORDINVM.

LIBRI DVO.

AVBERTVS MIRÆVS Bruxellensis, Decanus Antuerpiensis, scrutando publicabat.

EDITIO ALTERA AVCTIOR ET CORRECTIOR.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCHIVM sub Monocerote.
ANNO M. DC. XXXVIII.



NOBILISSIMO AC GENEROSISSIMO DOMINO,

D. VVERNERO SPIES DE BVLLESHEIM,

ORDINIS TEVTONICORVM EQVITI DOMVS PITSEMBVRGICÆ, APVD MECHLINIENSES COMMENDATORI SPECTATISSIMO.

Ierosolymorum vrbem, antiqua nobilitate celebrem, & Christi morte sanctissimam, barbara Saracenorũ natio immani premebat seruitute. PETRVS *re & nomine* EREMITA, *apud Ambianos in Gallia natus, relicta sæculi militia, religionis ergò in Palæstinam abijt. Inope vilique cultu inter barbaros*

tutus, omnia circumlustrans, quàm atrocia nostra religionis homines paterentur, plene didicit. Simon ea tempestate Hierosolymitanus Patriarcha erat: re cum eo communicata, acceptisq; ad VRBANVM II. *Pontificem Maximum litteris ac mandatis, in Europam Petrus redijt. Vrbanus audito Petro, lectisque litteris, maximùm animo dolorem cepit. Pungebat optimum Pontificem ignominia Christiani nominis; & agrè ferebat, terram Christi pedibus olim pressam à Sarracenis teneri, ipsosq; non modò pijs cum hominibus, sed cũ sanctitate locorum bellum gere-*

re, Vatiniano quodã Christianæ religionis odio. Quid faceret? Imperatores Græci, in quibus aliquid opis esse potuisset ob locorũ propinquitatem, de rebus suis soliciti, parum aut nihil aliena curabant. Occidentis Reges rẽ Ecclesiæ publicam negligebant, nihilq; religionis iniuriâ mouebãtur. Vrbanus, omnem in partem licet anxiùs, nequaquam animũ abijcit. Salutari consilio capto, Præsules & Principes, ad conuentus pro recuperanda Terra sancta habendos, anno millesimo 1095.
nonagesimo quinto, mense Nouemb. in Clarum-montem Aruerniæ vrbẽ euocat. Missis inde

legationibus, velut claßico dato, Principes ac nationes omnes ad bellum ſacrum excitat, vtq́ vires conferant, fortiter hortatur. Et verò ſuæ mox cauſſæ Deus benignus adfuit. Nunquam maioribus animis bellum in Chriſtiani nominis hoſtes eſt ſuſceptum. Militiæ inſigne CRVX *fuit, humero aſſuta : ex quo* CRVCIATÆ *expeditioni nomen factum. Gulielmus Tyrius lib.*1. *de Bello ſacro cap.*16. *diſertè narrat, inter alia, in Claro montana Synodo decretum fuiſſe*, vt quotquot ſacræ huius viæ voto ſe obligarent, viuificæ Crucis ſalutare ſignum veſtibus imprimerent, & in

& in humeris portarent illius memoriam, cuius passionis locum visitare proposuerãt. *Crucis itaq; signo ex Belgis primi se muniuerunt*, Godefridus Bullonius, *nostræ inferioris Lotharingiæ Dux, & S.R.I. ad Schaldim Marchio*, Balduinus & Eustathius *eius fratres*, Robertus *Flãdriæ*, Balduinus *Hannoniæ*, Hugo *S. Pauli, Comites*, Henricus Ascanus *Brabantus*; *ex Frãcis* Hugo Magnus, *Philippi Francorum Regis frater*, Stephanus *Carnutẽsis ac Blesensis*, Raimundus *Tolosanus*, Rainaldus *Arausionensis*, Herpinus *Bituricẽsis, Comites*, Balduinus

de Burgo, *Hugonis Comitis Registensis filius*, Petrus Eremita, Ademarus *Podiensis*, & Guilielmus *Arausionensis*, *Episcopi*; *ex Anglis* Robertus *Nordmanniæ Dux*, *Guilielmi Conquæstoris Anglorum Regis filius*; *ex Italis* Boamũdus *Tarentinorũ Princeps*, *Roberti Guiscardi Apuliæ Ducis filius*, Tancredus *eius sorore genitus*, & *alij plurimi*. *Breuiter*, *vniuersus* Occidẽs *in belli sacri apparatu totus erat*: *equi*, *arma*, *tela parabantur*; *timpanorum sonitus*, *tubarum clãgor*, *nihil præterea audiebatur*; *maria*, *terræ*, *agri*, *opida permixtione gentiũ & belli rumoribus per-*

sona-

ſonabant. Igitur partim itum, 1096
partim nauigatum eſt feliciter in Syriam. Anno demùm milleſimo 1099
nonageſimo nono, vrbs Hieroſolymitana Saracenis ab Europæorum exercitu eſt erepta; & GODEFRIDVS BVLLONIVS, *cōmuni omnium procerum ſuffragio, Rex eſt renuntiatus. Ad famam captæ vrbis, quantus omniū nationum in Syriam vndiq; cōcurſus fuerit, haud facilè dixero. Rebus exinde nonnihil conſtitutis,* Templariorum, Ioannitarum, *&* Marianorum *ſeu* Teutonicorum *Ordines militares, ad rē Chriſtianam aduerſus barbaros tutandam, & ad peregrinos ac*

pauperes in ædibus hoſpitalarijs fouendos, ſunt excitati. Singulis deinde Ordinibus ſingulæ CRVCES, *ſuis coloribus diſtinctæ, velut pro teſſera ſunt datæ: atque ea inſignia etiam ad poſteros trãſierunt. Ab his porrò fortiſſimis in Palæſtina Equitibus ſuas viuẽdi formulas* Iacobæi, Calatrauenſes, Alcantarenſes, Monteſiani, Auiſiani, *& alij in Hiſpania Equites poſteà ſunt mutuati. At verò militares inter Ordines nullus veſtro* TEVTONICO *nobilior, potentior aut bellicoſior exſtitit. Maiores veſtri à Polonis viciniſq; gentibus accerſiti, quã grauia ac diuturna cum* Pruſſis *fini-*

finitimiſque nationibus bella geſſerint, quis ignorat? Non eſt huius loci, nec mei inſtituti ſingula hîc commemorare: Fecerunt id alij, & porrò facient. Mihi certè viſum fuit, ex vſu publico fore, ſi ORIGINES *noſtræ* EQVESTRES, *iam olim typis editæ, ad incudem reuocarentur, & auctiores, ſub nominis ac fauoris tui aura, prodirent. Atque huc quidem,* GENEROSISSIME DOMINE, *me* [illegible] *bant atque impellebant* [illegible] *in vmbilico Belgicæ* [illegible] *noſtræ Præfectura ac* [illegible] *Veſtra Virtus ac No*[illegible] *pſum denique ſcripti*[illegible]

mentum. Quin imò, redire ad Vos gestiebant breuem in commentarium à me relata, quæ coràm Mechliniæ de Vestri Ordinis MARIANI *aliorumque originibus ac progreßibus ex ore Vestro acceperam. O virtutem eximiam, & apud Nobiles hodie viros raram! Hoc tamen est verè Nobilem esse, studio Historiæ aff[illegible], & ex ea in omnem vitæ partem optima exempla ac præ[illegible]rire. Qua quidem vir[illegible] [illegible]beralitate, comitate, Naturæ dotibus con-*
[illegible]OBILISSIME DOMINE,
[illegible]is es, vt omnes cùm [illegible]n politici ordinis homi-

nes

nes Te velut ſidus quoddam rarum & benignum ſuſpiciant ac venerentur. Quod vt perpetuum, atque in omne æuum ſalutare ſit, Deum venerans precor. Antuerpiæ, Idibus Martijs, M.DC.XXXVIII.

GENEROSISSIMÆ DOM.nis
VESTRÆ

Studioſiſſimus

AVBERTVS MIRÆVS.

AD

AD LECTOREM.



E *Ordinibus Equestribus seu militaribus dicturo mihi pauca liceat præfari. Magnum hodie per orbem Christianum* Nobilitatis *est nomen, priuilegia item eximia. Diuiduntur autem* Nobiles *in* maiores *&* minores: *vt apud Romanos alij maiorum, alij minorum gentium Dij olim habiti ac nuncupati. Nobiles maiores, vulgò Titulares, vocamus* Duces, Principes, Marchiones, Comites, *&* Barones: *qui vel hæreditario iure his titulis gaudent, vel ijsdem, virtutis ergò, à Regibus alijsve Principibus summis sunt donati. Nobiles minores censentur* Equites aurati, Armigeri *seu* Scutiferi, *&* Generosi *seu* Gentilhomines, *vt Italorum ac Gallorum vocabulo vtar.* a *Equitibus auratis nomen datum à* calcaribus inauratis, *quæ pro insigni ipsis attribuuntur. A mediæ ætatis scriptoribus hi simplici voce* Milites *appellantur: suntq; per vniuersa Europæ regna notissimi, nec certis legibus aut locis adstringuntur.*

a *Italis, Caualieri di Sprone.*

Ordinum porrò Equestrium seu Militarium de quibus sermo nobis est futurus, quibus & certæ sunt leges, & vnus idemque est Præfectus, duo se

rè genera censentur. Prioris generis sunt Ecclesiasticæ seu Religiosæ militum, aliorumque virorum nobilium [b] *Societates, quas Galli* Religiones, *Hispani ferè* Habitus *nuncupant. De his priore libro agemus. Alterius generis sunt ea procerum* [c] *Collegia, quæ Galli suâ linguâ* Ordines *indigitant: Itali à balthco Equestri, è collo gestari solito* (Collanam *ipsi nuncupant) nomen confixerunt. Istis Collegiis ferè maiorum, vt sic loquar, gentium Nobiles Principesque viri adscribi solent: de quibus Libro posteriore tractabimus.*

b *Di Croce.*

c *Di Collana.*

Præter istos quos diximus, sunt & alii variæ conditionis Equites: vt qui à sacris locis, ritu Christiano piè peregrinando visitatis, nomen atque insigne acceperunt. In his Equites sunt Ierosolymitani, *qui arundinem atque insignia vrbis Ierosolymitanæ præferunt: sunt item Equites* S. Catharinæ *qui rotam pro nota habent. Sunt &* S. Petri, *itemque* Lauretani, *Pij, Iulij, & alij Equites: de quibus suo infrà loco breuiter dissseremus. Breuiter, inquam, ac stilo dilucido: ne parùm memores, quibus ista scribamus, redarguamur, cùm quòd pro rebus nouis noua vocabula esse excogitanda,* verbísque præsentibus loquendum, *non ignoremus.* Præcipua itaque nobis cura erit *(quod apud Suetonium suadet Augustus Cæsar)* sensum animi quàm apertissimè

expri-

Agel. lib. 1. cap. 10. exprimere, vitatis ſententiarum ineptijs, a[illegible] que inconcinnitate, & reconditorum v[illegible] borum fœtoribus: *ne, cum iuuene iſto a[illegible] quitatis & obſcuritatis adfectatore, à Fauori[illegible] no philoſopho*, quaſi cum matre Euandri loquentes, *reprehendamur. Salue, mi Lector, & faue.* Antuerpiæ poſtridie Kalendas Auguſti, M. DC. XXXVI.

CIRCVMDABO DOMVM MEAM EX HIS QVI MILITANT MIHI, EVNTES ET REDEVNTES.
Zachariæ 11.



G   ORIGI-



ORIGINES EQVESTRIVM SIVE MILITARIVM ORDINVM,

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

FORMA VETVS ET NOVA CREANDI Militem seu Equitem.

INTER virtutis præmia apud Europæos hodie dignitas *Equitum*, quos *Auratos*, ab ornamentis aureis, vulgò nuncupant, non infimum obtinet locum. Quo quidem honore à Regibus ac Principibus cohonestari solent viri fortes, quique de Republica bene sunt meriti. Forma autem creandi *Equitis Aurati* est ista: Flectit genu ante Principem candidatus, ab eoque leniter nudo ense in humero percutitur; additis verbis solẽni more conceptis. Cæterùm Equitis creandi vetus *Equitis creandi forma.*

A vesti-

Eius vestigium apud Germanos veteres. vestigium (quod I. Lipsius obseruauit) exstat apud Cornel. Tacitum: *Apud Germanos*, inquit, *primus honor iuuentæ, scuto frameaque à Principe ornari: ante enim domus pars videbantur, sed iam Reipublicæ.* Quæ verò apud Saxones ratio olim fuerit, his verbis Ignulfus, vetus historiographus, ostendit: *Apud Saxones.* *Qui militia legitima consecrandus esset, vespere præcedente, ante Episcopum, Abbatem, monachum, vel sacerdotem contritus de peccatis confeßionem faceret, & absolutus, orationibus deditus in Ecclesia pernoctaret, in crastinum rem sacram auditurus, gladium super altare offerret, & post Euangelium sacerdos benedictum gladium militis collo cum benedictione imponeret, & communicatus sacris Christi mysterijs, denuò legitimus miles permaneret.* *Apud Normãnos* Similes ritus sacros & apud Normannos olim in vsu fuisse, Ioannes Sarisburiensis in Polycratico memorat: *Inoleuit consuetudo*, inquit, *solennis, vt ea ipsa die, qua quisque militari cingulo decoratur, Ecclesiam solenniter adeat, gladioque super altare posito & oblato, quasi celebri profeßione facta, seipsum obsequio altaris deuoueat, & gladij*, id est. *officij sui iugem Domino spondeat famulatum.* Ex quibus patet iam olim ad ornamentum, præter gladium, insuper & cingulum, itemque calcaria aurata fuisse adhibita: vnde & *Equites Aurati* sunt nuncupati. De honestissimo Equitum apud Rom. ordine disse-

differere, nec huius eſt loci, nec inſtituti.

CAPVT II.

ORDO EQVITVM HOSPITALARIORVM *Sancti Ioannis Ieroſolymitani: qui pòſt Rhodij, nunc Melitenſes dicuntur.*

SAcros inter ordines, militiæ S. IOANNIS IEROSOLYMITANI, bellicis hodieque laudibus clariſſimæ, meritò primas damus. Cœpit ea, nomenque induit ab hoſpitali ſeu xenodochio Ieroſolymis in gratiam peregrinorum ædificato, & *S. Ioannis* memoriæ conſecrato. Sancti *Ioannis* inquam *Eleemoſynarij*, Epiſcopi Alexandrini, benignitate in pauperes celeberrimi: [b] vt Guilielmus Tyrius, & [c] Iacobus Vitriacus, belli ſacri ſcriptores, commemorant. [d] Polydorus tamen Vergilius, cuius De rerum Inuentoribus exſtant commentarij, [e] Petrus item Gregorius, in Syntagmatibus, & [f] Ioannes Azorius, Inſtitutionum moralium ſcriptor egregius, hoſpitalem hanc domum honori *S. Ioannis Baptiſtæ* dicatam fuiſſe volunt. Id ipſum ex ſolenni profeſſionis, vt vocant, formula horum Equitum colligi videtur: qua quidem, inter cætera, *S. Ioannes Baptiſta* ordinis huius militaris patronus ac præſes diſertè agnoſcitur.

b *Li. 18. c. 5*
c *Li. c. 64.*
d *Lib. 7.*
e *L. 15. c. 35*
f *L. 13. c. 6.*

Vrbem porrò Ierosolymitanam cùm Saraceni tenerent, Christiani homines Latini, præsertim Amalphitani, Saracenis permittentibus, propè sepulchrum Domini, duo cœnobia construxerunt, alterum viris, alterum fœminis excipiendis: eaque Virgini-Matri & B. Mariæ Magdalenæ dicauerunt. Receptis nostrorum virtute Ierosolymis, cùm bina hæc domicilia infinitæ hominum multitudini, ad loca sacra confluenti, non sufficerent; addita est domus hospitalis, & sacellum S. Ioannis: à quo Hospitalarij milites *S. Ioannis* nomen inuenerunt. Vitriacus tamen, Tyrius, & alij scribunt domum hanc hospitalem prius conditam fuisse, quã Christiani, duce Godefrido Bullonio, Ierosolyma occupassent: etsi ordo ipse Hospitalariorum militum, non nisi vrbe receptâ, sit institutus. *Postquam enim diuinæ placuit pietati* (inquit Vitriacus) *vt ciuitatem redemptionis nostræ, per Ducem Godefridum & alios Christi fideles, ab impiorum dominio liberaret, & eam cultui restitueret Christiano, vir quidam sanctæ vitæ & probatæ religionis, nomine* Gerardus, *qui longo tempore in prædicto hospitali pauperibus deuotè ministrauerat, adiunctis sibi honestis & religiosis viris, habitum regularem suscepit, & vestibus suis* (iisq; nigris) *albam crucem exterius adfigens, facta solenniter professione, seipsum obligauit. Cui etiam*

Gretserius li. 2. tom. 3. de Cruce.

Gerardus auctor ordinis.

mulie-

mulier quædam, Agnes nomine, Romana natione, nobilis carne, sed nobilior sanctitate, quæ in monasterio monialium vicem gesserat Abbatissæ, in ministerio pauperum adiuncta, eandem regulam & humilitatis habitum votiuè suscepit. *Agnes Romana.*

Finis igitur ordinis huius & professionis erat, peregrinis & pauperibus in hospitali S. Ioannis sedulò ministrare, ijsdemque genus omne officij ac pietatis sollicitè præstare; adhæc itinera à latrocinijs Saracenorum aliorumque tuta præstare. *Hinc & mortuos in agro Haceldemach sepeliebant; orationi vacantes, vigilijs & ieiunijs seipsos affligentes, operibus affluentes, parci sibi & austeri, pauperibus autem & infirmis, quos dominos suos appellabant, largi & misericordes existebant, panes de pura simila largiebantur infirmis, residuum verò cum furfure ad vsus proprios reseruabant. Disciplinæ itidem cùm primis amantes erant, & culpas non relinquebant impunitas. Secundùm enim quod culpæ reatus exigebat, quidam signo crucis à vestimentis auulso, tamquam membra putrida prorsus eijciebantur: alios vinculis & carcere mancipabant, alios ad pedes fratrum in terra cibum artissimum, vsque ad condignam satisfactionem, sumere decernebant. Et quoniam Deus erat cum eis, ab omnibus amabantur. Vnde factum, quòd in omnem terram exiuit sonus eorum, & in omnes fines terræ fama sanctitatis eorum. Et ex largitione Principum & eleemo-* *Vitriacus lib. eit.*

ſynis fidelium, modico tempore adeò ditati ſunt, quod ab vniuerſis occidentalibus prouincijs reditus copioſos colligentes, caſalia & opida, tanquam terræ Principes, comparantes, ditioni ſuæ ſubiecerunt.

Cæterùm quo anno præcisè ordo iſte Ieroſolymis ſit inſtitutus, diſputant variantque ſcriptores. Illud conſtare volunt, ipſum ab Honorio II. Pont. Max. anno 1124. adprobatum. Iacobus Boſius, qui huius militiæ Statuta, vt vocant, ex Latino Italicè reddidit, & Romæ, vnà cum catalogo magnorum, vt nuncupant, Magiſtrorum ſeu Præfectorum generalium, & priuilegijs eidem militiæ à ſummis Pontificibus conceſſis, anno 1597. euulgauit: is, inquam, Boſius tradit, *Gerardum* iſtum, cuius Vitriacus meminit, Ieroſolymis vixiſſe, eo ipſo tempore, quo Godefridus Bullonius vrbem ſanctam Saracenis eripuit, ibidemque anno ſalutis
1118. CIↃ. CXVIII. obijſſe. Eoque defuncto, *Raimundum Podium* primum Magiſtri hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani titulo vſum fuiſſe, veſtemque ac regulam (quam hodieque ſeruant, à ſucceſſoribus tamen auctam) ſodalibus ſuis, adprobante Romano Pontifice, præſcripſiſſe, ac demum è viuis CIↃ.
1160. CLX. abijſſe. Nobis tamen Vitriaci ſententia haud improbanda videtur, laudem veſtis regularis

gularis, cum Crucis signo adsumptæ, Gerardo tribuentis. Viuunt autẽ hodieq; Melitéses ex præscripto regulæ S. Augustini, Cruce cãdidâ insignes. Suntq; inter eos, præter milites, etiã *Sacerdotes*, itemq; *Seruiẽtes*, vt nuncupant, & *Donati*: aliquo tamen discrimine, *Donati* enim non quadrimembrem, sed trimembrem gestant crucem, superiore stipite sublato. Ad Rhodum insulam quod attinet, à qua cognomen diu possederunt; Stero in Annalibus, & alij scribunt eam bello ab ipsis captã, ac Saracenis ereptã, circa ann. Christi 1310. Clemente V. Pont. Max. ius omne attribuẽte ac cõfirmante. Vt vt sit, magna gloria hanc ipsi insulã duobus ampliùs sæculis tenuerũt: frustra à Mahomete Turcarũ Imperatore anno 1481. oppugnati. Superioris tamen sæculi anno secũdo & vicesimo, à Solimanno nõ tã victi, quã innumerabili multitudine superati, sedem mutare sunt coacti: vt Iacob. Pontan. & Paulus Iouius fusè memorãt. Itaq; Melita insula D. Pauli Apostoli naufragio celebris, à Carolo V. Imp. ipsis est attributa: quam anno 1565. aduersus Turcarum impetus summa fortitudine sunt tutati. Huius belli historiã Vbertus Folieta elegãti stilo conscripsit. De rebus porrò domi militiæque à Ioannitis præclarè gestis, idem Bosius, & alij vniuersè sunt commentati.

Platina, Blondus, Æmylius. 1522.

CAPVT III.

EQVITVM TEVTONICORVM Ordo.

QVo anno, & vbi hic ordo sit institutus, disputatur. Siffridus presbyter in Chronico suo dicit, *Anno* CIↃ.CCXII. *ordinem Fratrum domus Teutonicorum in Acone* (sic enim legendum, non *in Accarone*) cœpisse. In Cōpilatione verò Chronologica dicitur, *Anno* CIↃ.CC. *inchoatus*. Liber ordinis Prussiæ iam olim typis editus refert, *ordinem Teutonicum hospitalis S. Mariæ in Ierusalem, sub primo Magistro* Henrico Walpot *cœpisse, & à Cœlestino Papa confirmatum, dato diplomate, Anno* 1191. *die* 22. *Februarij, anno Pontificatus eius primo.* Baronius tomo 12. Annalium tradit Equites Teutonicos à Cœlestino III. Papa, rogante Henrico V. Imperatore, *Veste alba*, & *Cruce nigra* donatos, eisdemque regulam S. Augustini præscriptam. Vitriacus hac occasione institutum memorat: *Cum ciuitas sancta, post eius liberationem habitaretur à Christianis, & multi ex Teutonicis & Alemannis, caussa peregrinationis pergentes Ierusalem, linguam ciuitatis ignorarent; inspirauit diuina clementia cuidam honesto & religioso viro Teutonico, qui in ciuitate cum vxore sua morabatur, quatenus quoddam xenodochium de bonis suis construeret, in quo pauperibus*

Hist. orient. cap. 66.

peribus

peribus & infirmis Teutonicis hospitalitatem exhiberet. Confluentibus autem ad ipsum, ratione commercij linguæ, & noti sibi idiomatis, de gente illa multis pauperibus & peregrinis, de consensu & voluntate Patriarchæ, quoddam oratorium composuit, iuxta prædictum hospitale seu xenodochium in honorem Beatæ Dei genitricis Mariæ. *Longo autem tempore in magna paupertate, tam de bonis suis, quàm de his, quæ colligebat ex fidelium eleemosynis, pauperes infirmos procurabat. Quidam autem, & maximè de gente Teutonicorum prædicti viri, charitatem & meritum attendentes, omnibus renuntiantes, se & sua Deo, & prædicto hospitali tradiderunt, ministerio pauperum, deposito sæculari habitu, voto se adstringentes. Procedente autem tempore, cùm non solùm de inferioribus, sed de equestri etiam ordine, & de nobilibus Alemanniæ viris Deo deuotis, prædicto hospitali, & Deo sese obligassent, paupertatem voluntariam, & abiecti in domo Dei esse magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum eligentes: visum est eis Deo gratum esse & acceptum, & magis meritorium, non solùm pauperibus infirmis seruire, sed insuper animas suas pro Christo ponere, & ab inimicis fidei Christianæ terram sanctam defendendo, Christo tam spiritualiter, quàm corporaliter militare.*
Quapropter & Templariorum, & fratrum Hospitalis S.Ioannis professiones in vnam quasi conflarunt; studio quidem rei bellicæ

Templarios imitati; infirmis autem ac peregrinis piam operam impendendo fratres Hospitalis Sancti Ioannis æmulati. Atque illos quidem excipiebant, omniq́ue charitatis genere tractabant in hospitali suo, quod *S. Mariæ Teutonicorum in Ierusalem* dicebatur: tametsi nec ipsi Hospitalarij rem militarem à suo instituto alienam censerent. Porrò ad discrimen Templariorum, & Ioannitarum seu Hospitalariorum, *cruces nigras albis chlamydibus assuebant*: teste Vitriaco.

Capta vrbe Ierosolymitana à Saladino, Saracenorum Duce, collegium & hospitale suum Aconem, seu Ptolemaida transtulerunt. Inde, vt ex tota item Syria, cum cæteris Christianis expulsi, in Occidentem migrarunt: inque Prussiam à Polonis accersiti, multa cum Prussis finitimisque nationibus bella gesserunt. Quæ aliaque huc facientia cognoscere qui volet, Martinum Cromerum, in Historia Polonorum, cæterosque rerum Polonicarum scriptores consulat. Lib. 7. Cæterùm Historia siue Liber ordinis Prussiæ, tradit *Borußiam siue Prußiam militibus ordinis Teutonici, per Conradum Masouiæ Ducem anno 1226. Maij die 25. donatam, & anno 1330. armata manu ab ipsis occupatam, primumq́; ordinis in Borußia Magistrum fuiße* Hermannum Saltzam, *virum fortem & magnanimum: qui cũ*

annos

annos triginta laudatißimè præfuiſſet, arceſq; plurimas ac prædia apud Italos, Germanos, Vngaros, atque Armenos ſuo ordini acquiſiuiſſet, ann. 1140. *in Apulia viuere deſijt, Barletti honorificè conditus.* Floruitque mirificè hic ordo in Pruſſia tribus ferè ſæculis: donec *Albertus Brandeburgius*, eiuſdem ordinis Magiſter, Lutherana hæreſi infectus, eam inuaſit, ductaque coniuge, titulum Ducis Pruſſiæ ſibi ſumpſit. Cuius poſteri eam prouinciam etiamnum obtinent, ſuntque Regi Poloniæ feudatarij, vt Iureconſulti loquuntur. Totius ordinis Teutonici hiſtoriam ſcripſit Ioannes Euſtachius Sollius, eiuſdem ordinis Cancellarius, breui publicandam, vt multi optant. 1525.

CAPVT IV.

TEMPLARIORVM EQVITVM ORDO.

Templariorum militũ ordinem, anno ſalutis CIↃ.CXVIII. Ieroſolymis, tempore Balduini Regis, inſtituerunt *Hugo à Paganis, & Gaufredus à S. Audemaro*, viri nobiles, & equeſtri dignitate inſignes, vt Tyrius commemorat: *Anno*, inquiens, 1118. *quidã nobiles viri de equeſtri ordine, Deo deuoti, religioſi, & timentes Deum, in manu Guarimundi Patriarchæ Ieroſolymitani, Chriſti ſeruitio ſe mancipantes, more Canonicorũ regulariũ, in caſtitate & obediẽtia, & ſine proprio velle, perpetuò viuere profeßi ſunt. Inter quos primũ & præcipui fuerũt viri venerab. Hugo de* 1118. Lib. 12. de bello ſacro cap. 7.

Paga-

Paganis, *& Gaufredus de S. Aldemaro*. Ex his *Hugo*, primus postea Magister militiæ templi creatus est: alter verò, *Gaufredus à S. Audomaro* (non à *S. Aldemaro*, vt in proprijs nominibus efferendis sæpè Tyrius labitur) est nuncupandus. Fuitque Gaufredus, nobilis Belga Artesius: & floruit ad annum vsque 1617. illustris apud Artesios familia, *S. Audomari* cognomento insignis. Cæterùm non plures initio fuere milites Templarij, quàm nouem: stetitque is numerus totos annos nouem. *Et quoniam iuxta templum Domini mansionem habuerunt*, (inquit Vitriacus) *Fratres militiæ templi, & vno verbo Templarij posteà, vt dicitur, sunt appellati. Quibus quoniam neque Ecclesia erat* (ait Tyrius) *neque certum habebant domicilium, Rex in palatio suo quod secus templum Domini ad Australem habet portam, eis ad tempus concessit habitaculum. Canonici templi Dominici plateam quam circa prædictum habebant palatium, ad opus officinarum, certis quibusdam conditionibus concesserunt. Rex autem, & eius milites prædictis viris nobilibus, qui omnia pro Christo reliquerant, compatientes, vnà cum Patriarcha de rebus proprijs eos sustentabant, quædam beneficia & possessiones eisdem postea pro remedio animarum suarum conferentes.*

In hist. orient. c. 65
Lib. cit.

Finis ordinis huius erat, *vt à latronibus & viris sanguinum*, vt loquitur Vitriacus, *defenderent*

derent peregrinos. & stratas publicas custodirent. Cùm enim ex omnibus mundi partibus diuites & pauperes, iuuenes & virgines senes cum iunioribus loca sancta visitaturi Ierosolymam pergerent: latrunculi quidam & raptores; & viarum publicarum prædatores, incautis peregrinis insidiātes, multos ex ipsis spoliabant, quosdam autem trucidabant. Professio igitur istorum erat. *vt tuta itinera, maximè ad salutem peregrinorum, contra latronum & incursantium insidias; pro viribus conseruarent:* voto solenni ad hoc præstandum adstricti:

Ac primò quidem toto nouennio, *in habitu fuerunt seculari,* testibus Tyrio & Vitriaco, *talibus vtentes vestimentis, quales pro remedio animarum suarum populus largiebatur. Cumque annis nouem in hac professione & sanctà paupertate communem vitam ducentes, concorditer, & quasi vnius moris in domo permansissent; anno gratiæ* CIƆ.CXVIII. *de mandato* Honorij *Papæ &* Stephani *Ierosolymitani Patriarchæ, instituta est* 1118.
eis regula, & albus habitus, *absque aliqua cruce assignatus. Hoc autem factum est in concilio generali apud* Trecas *ciuitatem Campaniæ celebrato, sub Albanensi Episcopo;. Apostolicæ Sedis Legato.* Nulla ergò cruce, quæ professionis propria foret tessera, initio insigniti fuerunt. *Post hæc verò Eugenij Papæ mandato* cruces rubeas *vestimentis suis exteriùs affixerunt,* vestes albas *in*

signum

Templarij cruce rubea, & chlamyde candida donantur. *signum innocentiæ deferentes, per* cruces *autem* rubeas *martyrium designantes: eo quod sanguinem proprium, secundùm instituta regulæ. pro defensione terræ sanctæ effundere sunt professi, & Christi crucis inimicos viriliter expugnando, à Christianorum finibus propellere, & ad nutum & mandatum eius, qui præest militiæ, non impetuose neque inordinate, sed prudenter, & cum omni cautela ad prælia procedendo, primi in progrediendo, in regrediendo postremi. Quorum res adeò creuit in immensum* (inquit Tyrius) *vt hodie trecentos plus minusve in Conuentu habeant Equites, albis chlamydibus indutos: exceptis alijs fratribus (qui dicuntur Seruientes) quorum pœnè infinitus est numerus. Possessiones autem tam vltra, quam citra mare adeò dicuntur habere, vt iam non sit in orbe Christiano prouincia, quæ prædictis fratribus bonorum suorum portionem non contulerit, & regijs opulentijs pares hodie dicantur habere copias. Ex quibus certam pecuniæ summam pro defensione terræ sanctæ summo eorum Magistro, cuius sedes principalis erat in Ierusalem, mittunt annuatim.* *Vitriacus.* En liberalitatem & munificentiam Christianorum erga defensores & propugnatores Terræ sanctæ. Militum Templi Regula, rogatu Balduini Regis Ierosolymitani, à S. Bernardo Abbate Claræ-Vallis scripta, exstat apud Chrysostomum Henriquez, in Priuilegijs ord. Cistertiensis Antuerpiæ à More-

Moreto 1630. editis, pag. 477. Quanta verò Ordo iste Ecclesiæ Dei commoda attulerit, & quantam disciplinæ seueritatem adhibuerit, idem Vitriacus fuse ibidem memorat. Sed postea, prô dolor, *conuersi sunt in arcum prauum, & neglecta humilitate* (inquit Tyrius) *Patriarchæ Ierosolymitano se subtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum prædecessores eidem exhibuerant, denegantes: sed & Ecclesiis Dei, decimas & primitias eis subtrahentes, & eorum indebitè turbando possessiones, facti sunt valdè molesti.* Quare sub Clemente V. Pontifice Ordo penitus sublatus, & quotquot comprehendi potuere, necati sunt. Cuius rei variæ adferuntur ab historicis caussæ: quas qui nosse volet, Platinam in Clemente V. Robertum Gaguinum in Philippo Pulchro, Crinitum lib. 24. De honest. discipl. cap. 13. Petrum Gregorium lib. 15. syntagm. cap. 33. Ioannem Azorium lib. 13. Institut. moral. cap. 6. & alios consulat. Sat caussæ profectò fuit, si, vt Platina scribit, à virtute maiorum suorum degeneres filij, cum Saracenis in Christianorum perniciem conspirarint.

Quarum rerum disquisitionem paullo ampliorem libet subnectere.

CA-

Vrbem porrò Ierosolymitanam cùm Saraceni tenerent, Christiani homines Latini, præsertim Amalphitani, Saracenis permittentibus, propè sepulchrum Domini, duo cœnobia construxerunt, alterum viris, alterum fœminis excipiendis: eaque Virgini Matri & B. Mariæ Magdalenæ dicauerunt. Receptis nostrorum virtute Ierosolymis, cùm bina hæc domicilia infinitæ hominum multitudini, ad loca sacra confluenti, non sufficerent; addita est domus hospitalis, & sacellum S. Ioannis: à quo Hospitalarij milites *S. Ioannis* nomen inuenerunt. Vitriacus tamen, Tyrius, & alij scribunt domum hanc hospitalem prius conditam fuisse, quã Christiani, duce Godefrido Bullonio, Ierosolyma occupassent: etsi ordo ipse Hospitalariorum militum, non nisi vrbe receptâ, sit institutus. *Postquam enim diuinæ placuit pietati* (inquit Vitriacus) *vt ciuitatem redemptionis nostræ, per Ducem Godefridum & alios Christi fideles, ab impiorum dominio liberaret, & eam cultui restitueret Christiano, vir quidam sanctæ vitæ & probatæ religionis, nomine* Gerardus, *qui longo tempore in prædicto hospitali pauperibus deuotè ministrauerat, adiunctis sibi honestis & religiosis viris, habitum regularem suscepit, & vestibus suis* (ijsq; nigris) *albam crucem exterius adfigens, facta solenniter professione, seipsum obligauit. Cui etiam mulier*

Gretserus li. 2. tom. 3. de Cruce.

Gerardus auctor ordinis.

mulier quædam, Agnes nomine, Romana natione, nobilis carne, sed nobilior sanctitate, quæ in monasterio monialium vicem gesserat Abbatissæ, in ministerio pauperum adiuncta, eandem regulam & humilitatis habitum votiuè suscepit. *Agnes Romana.*

Finis igitur ordinis huius & professionis erat, peregrinis & pauperibus in hospitali S. Ioannis sedulò ministrare, ijsdemque genus omne officij ac pietatis sollicitè præstare; adhæc itinera à latrocinijs Saracenorum aliorumque tuta præstare. *Hinc & mortuos in agro Haceldemach sepeliebant; orationi vacantes, vigilijs & ieiunijs seipsos affligentes, operibus affluentes, parci sibi & austeri, pauperibus autem & infirmis, quos dominos suos appellabant, largi & misericordes existebant, panes de pura simila largiebantur infirmis, residuum verò cum furfure ad vsus proprios reseruabant. Disciplinæ itidem cùm primis amantes erant, & culpas non relinquebant impunitas. Secundùm enim quod culpæ reatus exigebat, quidam signo crucis à vestimentis auulso, tamquam membra putrida prorsus eijciebantur: alios vinculis & carcere mancipabant, alios ad pedes fratrum in terra cibum artißimum, vsque ad condignam satisfactionem, sumere decernebant. Et quoniam Deus erat cum eis, ab omnibus amabantur. Vnde factum, quòd in omnem terram exiuit sonus eorum, & in omnes fines terræ forma sanctitatis eorum. Et ex largitione Principum & eleemo-* *Vitriacus lib. cit.*

ſynis fidelium, modico tempore adeò ditati ſunt, quod ab vniuerſis occidentalibus prouincijs reditus copioſos colligentes, caſalia & opida, tanquam terræ Principes, comparantes, ditioni ſuæ ſubiecerunt.

Cæterùm quo anno præcisè ordo iſte Ieroſolymis ſit inſtitutus, diſputant variantque ſcriptores. Illud conſtare volunt, ipſum ab Honorio II. Pont. Max. anno 1124. adprobatum. Iacobus Boſius, qui huius militiæ Statuta, vt vocant, ex Latino Italicè reddidit, & Romæ, vnà cum catalogo magnorum, vt nuncupant, Magiſtrorum ſeu Præfectorum generalium, & priuilegijs eidem militiæ à ſummis Pontificibus conceſſis, anno 1597. euulgauit: is, inquam, Boſius tradit, *Gerardum* iſtum, cuius Vitriacus meminit, Ieroſolymis vixiſſe, eo ipſo tempore, quo Godefridus Bullonius vrbem ſanctam Saracenis eripuit, ibidemque anno ſalutis
1118. CIↃ. CXVIII. obijſſe. Eoque defuncto, *Raimundum Podium* primum Magiſtri hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani titulo vſum fuiſſe, veſtemque ac regulam (quam hodieque ſeruant, à ſucceſſoribus tamen auctam) ſodalibus ſuis, adprobante Romano Pontifice, præſcripſiſſe, ac demum è viuis CIↃ.
1160. CLX. abijſſe. Nobis tamen Vitriaci ſententia haud improbanda videtur, laudem veſtis regularis,

gularis, cum Crucis signo adsumptæ, Gerardo tribuentis. Viuunt autē hodieq; Melitēses ex præscripto regulæ S. Augustini, Cruce cādidâ insignes. Suntq; inter eos, præter milites, etiā *Sacerdotes*, itemq; *Seruiētes*, vt nuncupant, & *Donati*: aliquo tamen discrimine, *Donati* enim non quadrimembrem, sed trimembrem gestant crucem, superiore stipite sublato. Ad Rhodum insulam quod attinet, à qua cognomen diu possēderunt; Stero in Annalibus, & alij scribunt eam bello ab ipsis captā, ac Saracenis ereptā, circa ann. Christi 1310, Clemente V. Pont. Max. ius omne attribuēte ac cōfirmante. Vt vt sit, magna gloria hanc ipsi insulā duobus amplius sæculis tenuerūt: frustra à Mahomete Turcarū Imperatore anno 1481. oppugnati. Superioris tamen sæculi anno secūdo & vicesimo, à Solimanno nō tā victi, quā innumerabili multitudine superati, sedem mutare sunt coacti: vt Iacob. Pontan. & Paulus Iouius fusè memorāt. Itaq; Melita insula D. Pauli Apostoli naufragio celebris, à Carolo V. Imp. ipsis est attributa: quam anno 1565. aduersus Turcarum impetus summa fortitudine sunt tutati. Huius belli historiā Vbertus Folieta elegāti stilo conscripsit. De rebus porrò domi militiæque à Ioannitis præclarè gestis, idem Bosius, & alij vniuersè sunt commentati.

Platina, Blondus, Æmylius.

1522.

CAPVT III.
EQVITVM TEVTONICORVM Ordo.

QVo anno, & vbi hic ordo sit institutus, disputatur. Siffridus presbyter in Chronico suo dicit, *Anno* CIↃ.CCXII. *ordinem Fratrum domus Teutonicorum in Acone* (sic enim legendum, non *in Accarone*) cœpisse. In Cõpilatione verò Chronologica dicitur, *Anno* CIↃ.CC.*inchoatus.* Liber ordinis Prussiæ iam olim typis editus refert, *ordinem Teutonicum hospitalis S. Mariæ in Ierusalem, sub primo Magistro* Henrico Walpot *cœpisse, & à Cœlestino Papa confirmatum, dato diplomate, Anno* 1191. *die* 22.*Februarij, anno Pontificatus eius primo.* Baronius tomo 12. Annalium tradit Equites Teutonicos à Cœlestino III. Papa, rogante Henrico V. Imperatore, *Veste alba*, & *Cruce nigra* donatos, eisdemque regulam S. Augustini præscriptam. Vitriacus hac occasione institutum memorat: *Cum ciuitas sancta, post eius liberationem habitaretur à Christianis, & multi ex Teutonicis & Alemannis, caussa peregrinationis pergentes Ierusalem, linguam ciuitatis ignorarent; inspirauit diuina clementia cuidam honesto & religioso viro Teutonico, qui in ciuitate cum vxore sua morabatur, quatenus quoddam xenodochium de bonis suis construeret, in quo pau-*

Hist. orien. cap. 66.

peribus

peribus & infirmis Teutonicis hoſpitalitatem exhiberet. Confluentibus autem ad ipſum, ratione commercij linguæ, & noti ſibi idiomatis, de gente illa multis pauperibus & peregrinis, de conſenſu & voluntate Patriarchæ, quoddam oratorium compoſuit, iuxta prædictum hoſpitale ſeu xenodochium in honorem Beatæ Dei genitricis Mariæ. *Longo autem tempore in magna paupertate, tam de bonis ſuis, quàm de his, quæ colligebat ex fidelium eleemoſynis, pauperes infirmos procurabat. Quidam autem, & maximè de gente Teutonicorum prædicti viri, charitatem & meritum attendentes, omnibus renuntiantes, ſe & ſua Deo, & prædicto hoſpitali tradiderunt, miniſterio pauperum, depoſito ſæculari habitu, voto ſe adſtringentes. Procedente autem tempore, cùm non ſolùm de inferioribus, ſed de equeſtri etiam ordine, & de nobilibus Alemanniæ viris Deo deuotis, prædicto hoſpitali, & Deo ſeſe obligaſſent, paupertatem voluntariam, & abiecti in domo Dei eſſe magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum eligentes: viſum eſt eis Deo gratum eſſe & acceptum, & magis meritorium, non ſolùm pauperibus infirmis ſeruire, ſed inſuper animas ſuas pro Chriſto ponere, & ab inimicis fidei Chriſtianæ terram ſanctam defendendo, Chriſto tam ſpiritualiter, quàm corporaliter militare.* Quapropter & Templariorum, & fratrum Hoſpitalis S. Ioannis profeſſiones in vnam quaſi conflarunt; ſtudio quidem rei bellicæ

Templarios imitati; infirmis autem ac peregrinis piam operam impendendo fratres Hospitalis Sancti Ioannis æmulati. Atque illos quidem excipiebant, omnique charitatis genere tractabant in hospitali suo, quod *S. Mariæ Teutonicorum in Ierusalem* dicebatur: tametsi nec ipsi Hospitalarij rem militarem à suo instituto alienam censerent. Porrò ad discrimen Templariorum, & Ioannitarum seu Hospitalariorum, *cruces nigras albis chlamydibus assuebant*: teste Vitriaco.

Capta vrbe Ierosolymitana à Saladino, Saracenorum Duce, collegium & hospitale suum Aconem, seu Ptolemaida transtulerunt. Inde, vt ex tota item Syria, cum cæteris Christianis expulsi, in Occidentem migrarunt: inque Prussiam à Polonis accersiti, multa cum Prussis finitimisque nationibus
Lib. 7. bella gesserunt. Quæ aliaque huc facientia cognoscere qui volet, Martinum Cromerum, in Historia Polonorum, cæterosque rerum Polonicarum scriptores consulat. Cæterùm Historia siue Liber ordinis Prussiæ, tradit *Borußiam siue Prußiam militibus ordinis Teutonici, per Conradum Masouiæ Ducem anno 1226. Maij die 2[illegible]. donatam, & anno 1330. armata manu ab ipsis occupatam, primumq; ordinis in Borußia Magistrum fuiße* Hermannum Saltzam, *virum fortem & magnanimum: qui cũ*

annos triginta laudatißimè præfuiſſet, arceſq; plurimas ac prædia apud Italos, Germanos, Vngaros, atque Armenos ſuo ordini acquiſiuiſſet, ann. 1140. *in Apulia viuere deſijt, Barletti honorificè conditus.* Floruitque mirificè hic ordo in Pruſſia tribus ferè ſæculis: donec *Albertus Brandeburgius*, eiuſdem ordinis Magiſter, Lutherana 1525. hæreſi infectus, eam inuaſit, ductaque coniuge, titulum Ducis Pruſſiæ ſibi ſumpſit. Cuius poſteri eam prouinciam etiamnum obtinent, ſuntque Regi Poloniæ feudatarij, vt Iureconſulti loquuntur. Totius ordinis Teutonici hiſtoriam ſcripſit Ioannes Euſtachius Sollius, eiuſdem ordinis Cancellarius, breui publicandam, vt multi optant.

CAPVT IV.

TEMPLARIORVM EQVITVM ORDO.

TEmplariorum militū ordinem, anno ſa- 1118. lutis CIↃ.CXVIII. Ieroſolymis, tempore Balduini Regis, inſtituerunt *Hugo à Paganis, & Gaufredus à S. Audemaro*, viri nobiles, & equeſtri dignitate inſignes, vt Tyrius commemorat: *Anno*, inquiens, 1118. *quidā nobiles viri de* Lib. 12. de *equeſtri ordine, Deo deuoti, religioſi, & timentes* bello ſacro *Deum, in manu Guarimundi Patriarchæ Ieroſo-* cap. 7. *lymitani, Chriſti ſeruitio ſe mancipantes, more Canonicorū regulariū, in caſtitate & obediētia, & ſine proprio velle, perpetuò viuere profeßi ſunt. Inter quos primi & præcipui fuerūt viri venerab. Hugo de*

Paga-

Paganis, *& Gaufredus de S. Aldemaro.* Ex his *Hugo*, primus postea Magister militiæ templi creatus est: alter verò, *Gaufredus à S. Audomaro* (non à *S. Aldemaro*, vt in proprijs nominibus efferendis sæpè Tyrius labitur) est nuncupandus. Fuitque Gaufredus, nobilis Belga Artesius: & floruit ad annum vsque 1617. illustris apud Artesios familia, *S. Audomari* cognomento insignis. Cæterùm non plures initio fuere milites Templarij, quàm nouem: stetitque is numerus totos annos nouem. *Et quoniam iuxta templum Domini mansionem habuerunt*, (inquit Vitriacus) *Fratres militiæ templi, & vno verbo Templarij posteà, vt dicitur, sunt appellati. Quibus quoniam neque Ecclesia erat* (ait Tyrius) *neque certum habebant domicilium, Rex in palatio suo quod secus templum Domini ad Australem habet portam, eis ad tempus concessit habitaculum. Canonici templi Dominici plateam. quam circa prædictum habebant palatium, ad opus officinarum, certis quibusdam conditionibus concesserunt. Rex autem, & eius milites prædictis viris nobilibus, qui omnia pro Christo reliquerant, compatientes, vnà cum Patriarcha de rebus proprijs eos sustentabant, quædam beneficia & possessiones eisdem postea pro remedio animarum suarum conferentes.*

In hist. orient. c. 65
Lib. cit.

Finis ordinis huius erat, *vt à latronibus & viris sanguinum*, *vt* loquitur Vitriacus, *defenderent*

derent peregrinos. & stratas publicas custodirent. Cùm enim ex omnibus mundi partibus diuites & pauperes, iuuenes & virgines senes cum iunioribus loca sancta visitaturi Ierosolymam pergerent: latrunculi quidam & raptores; & viarum publicarum prædatores incautis peregrinis insidiãtes, multos ex ipsis spoliabant, quosdam autem trucidabant. Professio igitur istorum erat, *vt tuta itinera, maximè ad salutem peregrinorum, contrà latronum & incursantium insidias; pro viribus conseruarent*: voto solenni ad hoc præstandum adstricti:

Ac primò quidem toto nouennio, *in habitu fuerunt sæculari*, testibus Tyrio & Vitriaco, *talibus vtentes vestimentis, quales pro remedio animarum suarum populus largiebatur. Cumque annis nouem in hac professione & sanctâ paupertate communem vitam ducentes, concorditer, & quasi vnius moris in domo permansissent; anno gratiæ* CIↃ.CXVIII. *de mandato* Honorij *Papæ & Stephani Ierosolymitani Patriarchâ, instituta est* 1118.
eis regula. & albus habitus, *absque aliqua cruce assignatus. Hoc autem factum est in concilio generali apud* Trecas *ciuitatem Campaniæ celebrato, sub Albanensi Episcopo; Apostolicæ Sedis Legato.* Nulla ergò cruce, quæ professionis propria foret tessera, initio insigniti fuerunt. *Post hæc verò Eugenij Papæ mandato* cruces rubeas *vestimentis suis exteriùs affixerunt*, vestes albas *in*

signum

Templarij cruce rubea, & chlamyde candida donantur. *signum innocentiæ deferentes, per* cruces *autem* rubeas *martyrium designantes: eo quod sanguinem proprium, secundùm instituta regulæ. pro defensione terræ sanctæ effundere sunt professi, & Christi crucis inimicos viriliter expugnando, à Christianorum finibus propellere, & ad nutum & mandatum eius, qui præest militiæ, non impetuose neque inordinate, sed prudenter, & cum omni cautela ad prælia procedendo, primi in progrediendo, in regrediendo postremi. Quorum res adeò creuit in immensum* (inquit Tyrius) *vt hodie trecentos plus minusve in Conuentu habeant* Equites, *albis chlamydibus indutos: exceptis alijs fratribus (qui dicuntur Seruientes) quorum penè infinitus est numerus. Possessiones autem tam vltra, quam citra mare adeò dicuntur habere, vt iam non sit in orbe Christiano prouincia, quæ prædictis fratribus bonorum suorum portionem non contulerit, & regijs o-* *Vitriacus.* *pulentijs pares hodie dicantur habere copias. Ex quibus certam pecuniæ summam pro defensione terræ sanctæ summo eorum Magistro, cuius sedes principalis erat in Ierusalem, mittunt annuatim.* En liberalitatem & munificentiam Christianorum erga defensores & propugnatores Terræ sanctæ. Militum Templi Regula, rogatu Balduini Regis Ierosolymitani, à S. Bernardo Abbate Claræ-Vallis scripta, extat apud Chrysostomum Henriquez, in Priuilegijs ord. Cistertiensis Antuerpiæ à

More-

Moreto 1630.editis, pag.477. Quanta verò Ordo iste Ecclesiæ Dei commoda attulerit, & quantam disciplinæ seueritatem adhibuerit, idem Vitriacus fuse ibidem memorat. Sed postea, prô dolor, *conuersi sunt in arcum prauum, & neglecta humilitate* (inquit Tyrius) *Patriarchæ Ierosolymitano se subtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum prædecessores eidem exhibuerant, denegantes: sed & Ecclesiis Dei, decimas & primitias eis subtrahentes, & eorum indebitè turbando possessiones, facti sunt valdè molesti.* Quare sub Clemente V. Pontifice Ordo penitus sublatus, & quotquot comprehendi potuere, necati sunt. Cuius rei variæ adferuntur ab historicis caussæ: quas qui nosse volet, Platinam in Clemente V. Robertum Gaguinum in Philippo Pulchro, Crinitum lib.24. De honest. discipl. cap.13. Petrum Gregorium lib.15. syntagm. cap.33. Ioannem Azorium lib.13. Institut. moral. cap.6. & alios consulat. Sat caussæ profectò fuit, si, vt Platina scribit, à virtute maiorum suorum degeneres filij, cum Saracenis in Christianorum perniciem conspirarint.

Quarum rerum disquisitionem paullo ampliorem libet subnectere.

CA-

CAPVT V.

DE TEMPLARIORVM EXCIDIO ET *caußis quæsitum.*

SCio Villaneum, Antoninum, & alios esse, qui eos à calumnia defendunt: fama tamen frequentior, & sensus prope omnium damnat. Diuitias, quibus aucti in immēsum erant, malo fuisse, fateamur necesse est: siue virtutum indole, quibus res tantas terra mariq; perfecerant, voluptatibus exstincta: siue ex ea re inuidiā apud populum cōflatā; apud principes spe lucri excitatā. Tam citò in omne improbitatis genus publicè degenerasse, vix esset credibile, nisi Clementis V. Pont. Max. diplomata, quæ inter tabulas ædis Toletanæ omnium maximæ plura extant, indicio essent, famam haudquaquam vanam fuisse, affirmantis duos & sexaginta ex eo ordine; se coram quæstione habita, scelera nefandissima fassos, veniam petijsse. Primi indices, duo ex eodem ordine extitere, *Prior Montfalconis* in agro Tolosano, & *Noffus* exul Florentinus, auctores haud satis idonei, vt testimonio multorum vulgatum est. Accessere alij; in his ipsius Pontificis Clementis cubicularius, qui vndecimo ætatis anno, ad eum ordinem adiunctus, visa factaque referebat. Accusationis capita ad

Mariana lib. 15. rerū Hisp. c. 10.

Philip-

Philippum Galliæ Regem missa Pictauiū, vbi cum Clemente Pontifice erat. Vno tempore, quasi inde signo dato, Templarij omnes comprehensi in Gallia: de ijs quæstiones tormentis habitæ: pleríque aut omnes, dulcedine vitæ, aut ex scelerum conscientia, crimina, de quibus accusabantur, confessi sunt, damnati quàm plurimi, ac viui igne cremati. In his summum ordinis Magistrum, *Iacobum Molam* Burgundum, cùm ad supplicium raperetur, sententia pronunciata, quamuis proposita vitæ spe, impunitateque, si veniam supplex palam peteret, huiusmodi verba fecisse, auctores multi affirmant: *Ego*, inquit, *extremo vitæ tempore, cum inutili mendacio locus esse non debet, vera esse nego, quæ de Templariorum impietate criminibusque, & ante iactata, & nunc recitata sunt. Ordo enim ille sanctus, iustus, & orthodoxus est: ego tamen extremo supplicio dignus, qui Pontifice Regeque hortantibus, flagitia impia sceleraque ementitus sum in ordinem meum, de religione Christiana optimè meritum. Quod vtinam, ô vtinam factum non esset! sed quod vnum superest, meis delictis si veniæ locus est, ignosci postulo, vltroque grauiores etiam pœnas deposco, si quo modo diuinum numen patientia placare, apud homines misericordiam hac calamitate mouere possim.* Multos alios idem palam dixisse fertur, in eo numero, Delphini Viennensis fra-

Mors Iacobi Molæ Templariorum Magistri.

trem nobilissimum, cuius nomen intercidit. Proximo anno pridie Kalend. Augusti, litteræ à Pontifice datæ, quibus inquirendi in Castellæ Templarios, Compostellano & Toletano Archiepiscopis potestatem permisit: adiuncto *Aimerico* Inquisitore ex Prædicatorio ordine (num eo, à quo *Directorium Inquisitorum* editum exstat?) alijsque Præsulibus. In Aragonia idem negotium Episcopis *Raimundo* Valentino, & *Semeno* Cæsaraugustano datum est. Idem in reliquis prouincijs toto Christiano orbe factum: eo temperamento, vt inquisitione habitâ, de summa rerum in Concilijs tantùm prouincialibus cognosceretur.

Moguntiæ, cum in frequenti patrum consessu, iussu Clementis Pontificis Romani ea de caussa ageretur, *Hugonem*, cum viginti ordinis sui socijs, irrupisse in cõuentum aiunt, claraque voce testatum, si quid grauius in eum ordinem esset decretum, se Pontificem Maximum Clementis successorem appellare: ferocia eorum deterritos Patres, bono animo esse iussisse. Clementem certiorem litteris factum ius de integro quærendi statuendique, Archiepiscopo demandasse: illum caussa cognita crimine liberasse tamquam innocentes. Demùm in concilio Viē-
1311. nensi, quod salutis anno CIↃ.CCC.XI. Octo-

bris

bris die sexto decimo, haberi cœptum, de bello sacro instaurando magna contentione actum est. In Templariorum caussa decretum, vt eorum nomen & Ordo penitus aboleretur. Crudele decretum fuisse, plerisque visum: neque est verisimile ea delicta in omnes prouincias manasse, contaminasse singulos: sed cunctis tamen, eius ordinis clade, documentum datum similis perfidiæ vitandæ, præsertim viris sacratis, quorum opes viresque integra magis probitatis opinione, quàm re alia nituntur. Bona *Hospitalarijs* addicta; quo illi tempore Rhodum insulam Turcis eripuerunt: vnde maior apud populum gratia, spesque nata, posse per eos bellum in Syria instaurari. Hispania excepta est, quoniam in ea belli moles aduersus Mauros magna supererat. Interfuere concilio *Philippus* Galliæ Rex, filij eius tres, *Carolus* Valesius frater, aliorum Principum legati magno numero: Patres ad trecentos fuere, alij centum quatuordecim dicunt; duo Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenusque; Romanus Pontifex cæteris omnibus auctoritate potior. Cæterùm Templariorum casu orbis Christianus conturbatus est: sontibus irrogata supplicia, insontes conseruati, attributæque eis, Patrum Viennensium decreto, annuæ

pensiones ex ipsis cœnobiorum bonis, vndè vitam sustentarent, insigni tantùm veste detracta. Ita ferè Ioannes Mariana, lib. 15. rerum Hisp. cap. 10.

Libet his I. LipsI sententiam adnectere: *Certissimum*, inquit, *habetur, quod Clementi V. Pontifici Max. euenit: qui cùm* Templarios *cœtum religiosum, & diu bonum atque vtilem, Viennæ in Concilio damnasset, & in sodales ferro atque igne passim vel animaduertisset: à pluribus eorum citatus ad tribunal superum, paullò plùs anno post obijt, quasi ad vadimonium obeundum à supremo Prætore arcessitus. Sub idem tempus (quod admirationem auget) in eadem caussa* PHILIPPVS *Rex Galliæ: cui bono damnationes illæ fuisse putabantur, opibus ad eum translatis & confiscatis. Si à casu, miremur: si à Deo vereamur.*

Hactenus de tribus militaribus ordinibus in Syria, ijsdem penè temporibus, Christianæ religioni augendæ ac tutandæ, institutis. De quibus sic breuiter Onuphrius Panuinius in Chronico suo Ecclesiastico, ad annum Christi CIↃ. C. XIX. *Per hæc tempora quatuor militiarum ordines Ierosolymis aut instituti,*
1119. *aut restituti, & amplificati fuere;* Hospitalariorum, *qui &* S. Ioannis, *&* Rhodij *dicti sunt, à Gerardo quodam;* Templariorum *ab Hugone & Gotifredo;* S. Mariæ Teutonicorum, *à Germanis; &* S. Lazari, *diu antè à D. Basilio conditus.*

tus. De S. Lazari militia, patrum memoria à pio IV. pont. Max. restituta, nos infrà hoc libro, cap. 17. & sequentibus dicemus.

CAPVT VI.

ORDO GLADIFERORVM, SEV Militum Christi in Liuonia.

AD formam trium ordinum Equestrium seu militarium in palæstina natorum, instituta sunt & alibi id genus militum collegia. Quorum è numero fuit militum Christi in Liuonia sodalitium, ab *Alberto* Episcopo excitatum; cuius instituti Equites, *ensis rubri* signum, cum cruce, pallio insutum, gestabant: vt auctor est Cromerus. Quorum quidem scopus erat Christianam religionem contra Ethnicos tueri, atque exstirpata idololatria, religionem veram propagare. De militari isto ordine sic Arnoldus Lubecensis, in Chronicis Sclauorum, vbi de Liuonia ad Christi religionem adducta agit: *Multi continentiam vouentes, & soli Deo militare cupientes, forma quadam Templariorum, omnibus renunciantes, Christi militiæ se dediderunt, & professionis suæ signum in forma gladij, quo pro Deo certabant, in suis vestibus præferebant. Qui confortati & animo & numero, inimicis Dei terrore non paruo formidabiles effecti sunt.* Cæterùm Funccius in Chronologia sua (quam cautè legendam moneo) narrat L. 3. c. 9.

 hos

1237. hos Gladiferos Liuoniæ milites anno 1237. cum Teutonicis cruciferis fuisse vnitos : apud quem & Liuoniæ Magistri ex ordine, eorumq; res gestæ recensentur. Horum postremus *Gothardus Ketlerus*, eiurata Religione orthodoxa, Liuoniam Sigismundo Augusto Poloniæ Regi tradidit, & ab eo Dux Curlandiæ, anno 1561. creatus fuit.

CAPVT VII.

ORDO EQVITVM D. IACOBI, APVD Hispanos nobilissimus.

ORdinem militiæ *S. Iacobi de Spata*, vt vulgò nuncupant, sub regula S. Augustini, à *Petro Ferdinando* in Hispania, anno sa-
1170. lutis CIↃ. C. LXX. institutum tradit Onuphrius Panvinius in Chronico suo Ecclesiastico. De cuius militiæ principijs, & quibus modis ab humili ducta, in amplitudinem, regiæ olim æmulam ac formidabilem,
Mariana, lib. 11. rerũ Hisp. c. 13. creuerit, compendio exponamus. Quo ex tempore *D. Iacobi* Apostoli sepulchrum vbi esset, cognitum est, eius loci religio non tota Hispania modò, sed etiam apud externas nationes propagari cœpit. Multi toto orbe mortales conueniebant: alios itineris difficultas, propter locorum asperitatem sterilitatemque deterrebat: plures Maurorum arcebãt incursiones, à quibus multos in captiuitatẽ agi nunciabatur. Canonici sacerdotes

D. Eli-

D. *Eligij*, quo tempore haud satis constat, sed consequenti tamen ætate, ijs malis occurrere cupiẽtes multis locis toto eo itinere, quod ad Galliam pertinet, domicilia constituere peregrinis excipiendis: in quibus quod in suburbano Legionẽsi *D. Marci* nomine ædificatum est, principẽ locum habuit. Eo pietatis officio non plebis tantùm animos, sed etiam Principum voluntates conciliarunt. Vnde magnis opibus & vectigalibus aucti tunc sunt: & postmodùm eorum exemplo, nõnulli viri militares in Castella nobiles atque copiosi, in studio Christiani nominis amplificandi perstiterunt, priuatis rebus in commune collatis. Ij per hæc tempora, *Hiacinthi* Cardinalis industria, cum *D. Eligij*, qui Domicilium prope Compostellam habent, Canonicis vires sociare certi, Romam profecti sunt: vt Pontifici *Alexandro III.* vitæ genus probarent, quod instituere cupiebant, ad D. Augustini normam, quam *D. Eligij* Canonici amplexi erant. *Petrus Fernandus à Ponte Encalato*, eius legationis princeps, diploma à Pontifice abstulit, III. Nonas Iulij, anno millesimo centesimo septuagesimo quinto, quo militibus viuendi ratio præscripta est, & optimis institutis temperata. Ad id vitæ genus fœminæ etiam admittuntur, coniugij sublata facultate, nisi consensu Magistri.

Canonici regulares S. Eligii apud Compostellam.

S. August. regulam amplectũtur.

1175.

Ex omni militum numero tredecim omnino viros deligere iussum: qui à Magistri latere non discederent, & cum eo quotannis loco designato conuentus generales agerent. Multa alia præterea constituta sunt, quæ commemorare longum esset. *Petrus* ipse *Fernandus* eius militiæ primus Magister creatur. Insigne militibus in veste candida *crux rubra* in *gladij militaris* modum conformata. Domicilio xenodochium, *D. Marci* nomine, Legione designatum. Amplæ possessiones in Castella & Legione hac ipsa tempestate erant, opida & arces non paucæ. In his *Vrcesia, Mora, Estriana, Almodana, Larunda, Vicus cumminarius*, cui iam *Vico Zarzæ* nomen erat, vt diploma Pontificum declarat. Accidit consequenti anno millesimo centesimo septuagesimo sexto, vt Alfonsus Castellæ Rex ætate confirmata, certusque eas iniurias vindicandi, quæ à Vasconibus & Legionensibus annis prioribus erant illatæ, bellum cōpararet. Vota, priusquam proficisceretur, Toleti nuncupata. Illescam & Hasagiuam opida (nam ad Regis ditionem redierant) Toletano templo donauit, mense Iulio: vt bellum quod inferre parabat, felici exitu concluderetur, Diuos indigetes precatus. Cum magnis copijs in *Riuogiam* ad Iberi ripam penetratum. Quid præterea rerum ge-

Petr. Fernandus I. Magister.

ſtum ſit, ignoramus: niſi quod Vaſconibus mulctatis, ſatis conſtat, arma in Legionenſe regnum conuerſa; vaſtatos agros, capta, direpta, incenſa opida: cùm Ferdinandus Legionenſium Rex, patruus, viribus inferior eſſet, & prævalidi iuuenis congreſſum declinaret. In nouos D. Iacobi milites Regis Legionenſis conuerſa rabies: quoniam eos Caſtellæ Regi, veteri domino, fauere ſuſpicabatur. Illi regno expulſi in Caſtellam omnes migrarunt. Sed Regem Ferdinandum breui pœnitentia ſubijt, tantæ præſidio regnum haud ſatis idonea cauſſa nudaſſe: neque mutare tamen potuit, tametſi viris ſanctis & proceribus adnitentibus, quodam induciarum genere tum primùm ab armis diſceſsũ eſt. Hæc habebamus quæ de initijs eius ordinis litteris mandaremus, quamquam pauca, vt fateor, pro dignitate. Neque ignoramus quoſdam vetuſtiorem originem deſignare, alios ab *Alfonſo Caſto*; alios à *Ramiri* Caſtellæ Regis ætate: qui anno ſalutis octingenteſimo quadrageſimo ſexto, apud *Clauigium* ſexaginta Maurorum millia commiſſo 846.
prælio interemit, *D. Iacobo* Apoſtolo in equo candido niueum vexillum, rubræ crucis figura diſtinctum, præferente. Nimirum vtroſque decepit eius militiæ illuſtrandæ ſtudium. Nam diploma, quod ante centum

 ampliùs

ampliùs annos virginibus ſacris, quæ Salmã-ticæ à *S. Spiritu* nomen habent, conceſſum profertur, falſi ab eruditioribus accuſatur; quibus argumentis explicare non attinet: res ſe ipſa prodit, ſiue ſtilum expendenti, ab eorum temporum ruditate abhorrentem, ſiue ab ortu Chriſti annos numerandi rationem conſideranti, nondum per hæc tempora in Hiſpania ſuſceptam. Ita ferè Mariana lib. 11. cap. 13.

Huius militiæ Regulam ſeu Statuta vt vocant, Hiſpano ſermone explanauit *M. Isla*, Philippo II. Regi Catholico à Sacris, & Plãtiniani typis Antverpiæ euulgarunt. Apud quem *Islam* exſtat & ſeries Magiſtrorum, ſummorumque militiæ Præfectorum.

CAPVT VIII.

ORDO EQVITVM CALATRAVAE, *in regno Caſtellæ.*

Mariana l. 11. rerum Hiſp. c. 6.

CAlatraua opidum loco munito in Oretanis ad Anam flu. ſitum, quo tempore ereptum eſt Mauris, Templarijs militibus, quorum magna erat opinio virtutis, muniẽdum cuſtodiendumq; datum eſt: vt arcis inſtar eſſet ad barbarorum incurſus arcendos. Ij, quòd Mauros victorijs elatos magno numero obſeſſum venire nunciaretur, defenſionis ſpe abiecta, opidum reddiderunt. Neque erat inter proceres, qui aut vltrò nomen pro-

profiteretur, aut ea de re à *Sanctio* III. cognomine *Desiderato*, Castellæ Rege appellatus, suo periculo opidum defendendum susciperet. Duo *Cistertiensis* ordinis monachi, quos res aliæ in curiam euocarant, Toleti eo tempore moram trahebant, *Raimundus* 1158. Fiterij Abbas, atq; Raimundi socius *Diegus Velasquius*. Is vetus antea *Alfonsi* Imperatoris & Castellæ Regis miles, multisque bellicis operibus clarus, rerum deinde humanarum contemptu monachum induerat: & vt magno erat animo, mouendo, suadendo, hortandoque cunctantem, effecit vt opidi defendendi curam in se Abbas susciperet. Consilium specie temerarium erat, re numinis inflatu conceptum, vt arbitror: nam contra tantas difficultates ratione satis prouideri non poterat. Ea res primùm Regi gratissima fuit, deinde *Ioanni* Præsuli Toletano, mœstis antea, atque consilij inopibus in tanta Reipublicæ difficultate. *Ioannes* etiam, quoniam in eius ditione *Calatraua* sita est, pecuniam de suo suppeditauit: & pro concione cùm nobiles, tum populares permouit, vt se, Abbate ductore, discrimini offerrent; ne in tanto periculo rem Christianam deserere viderentur: quanto sibi, & rei familiari minùs parcerêt, tanto tutiores fore: amisso eo opido, quod instar propugnaculi esset

Rodericus Tolet. li. 2. c. 14. & 27

esset, incendij flammam in singulorum fortunas inuasuram. Atque hæc anno ineunte millesimo centesimo quinquagesimo octa-
1158. uo gerebantur. Quo tempore Rex, vt præmium labori esset, Calatrauæ principatum cum subiecto agro dono dedit B. MARIÆ, ordinis Cisterciensis patronæ, atque eius nomine, *Raimundo* Abbati & socijs iure perpetuo. Magna famæ in vtramque partem momenta fiunt, plerumque verò maioris. Itaq; cum eius apparatus rumor percrebuisset, Mauri spe deiecti, aut alijs rebus impediti, Calatrauam non venerunt. Id felix faustumque & bene ominatum initium eius militiæ fuit. Nam plerique milites Abbatem secuti vestem mutarunt: quam ille insignem attribuit, eiusque formæ, quæ armorum vsum non impediret. Moxque Toletum repetens, Regem & ciues ex rebus gestis lætitia compleuit. Ex cœnobio autem, cui Præfectus erat, magnam pecoris vim abduxit, atque ex vicinis opidis hominum viginti millia: quibus agri diuisi, opidaque Calatrauæ vicina, quoniam incolis vacua erant, domicilio designata. Ea diligentia Calatrauæ opidum contra omnem iniuriam egregiè est munitum. *Raimundo* Abbati post aliquot annos defuncto, ad opidum *Ciruclos*, vbi sepultus etiam est, pro opera nauata honores à populo

Raimūdus Abbas, auctor militiæ Calatrauæ.

pulo habiti: vsque eò vt miraculis fulsisse creditus sit, & in cœlestium numero reponatur. *Diegus Velasquius*, in multos annos vita propagata, *Gumielæ* in D. Petri cœnobio obijt, ibique sepultus est. Ab his initijs sacrã Calatrauæ militiam, in hunc quem cernitis splendorem perductam, *Alexander III.* suo diplomate confirmauit, *Garsia* eius ordinis primo Magistro, anno millesimo centesimo 1164.
sexagesimo quarto. Garsiæ successit *Martinus Peresius*, Martino *Nunnius Peresius Quignonius*; his alij. Domicilium, quod *Calatrauæ* primò collocatum, *Ciruelos* deinde, *Buxedam* mox, *Corcolem* deinceps, & *Saluaterram* migrauit, *Cuuos* ad extremum, *Nunnio Fernando* duodecimo eius militiæ Magistro. Sunt quidem minora alia eius ordinis domicilia alijs locis constituta, illud præcipuum. Copiæ, auctoritas, multorumque opidorum imperium, eximia Regum liberalitate, accessit. Quæ opida emeritæ olim eius ordinis militiæ hominibus commendabantur, vt ijs reditibus vitam honestè sustentarent: neque tamen posteris hæreditaria relinquebant. Nunc rebus ab antiquo mutatis, aulicorum delicijs Regum ex libidine non rarò mancipantur. Ita ferè res humanæ à præclaro initio degenerare consueuerunt. Sic ferè Mariana lib. II. cap. 6. Sed Onuphrius in Chronico

nico suo ordinem hunc à Sanctio Rege anno 1121. vult institutum. Vtuntur autem Equites Calatrauæ in comitijs publicis veste candida *crucis rubræ* signo notata; cuius extrema desinunt in quatuor lilia. Quod qui-
1396. dem illis CIƆ.CCC.XCVI. præscripsit *Benedictus* XIII. qui se pro Pontifice apud Hispanos tūc gessit: vt idem Mariana, lib. 19. commemor. Porrò superioris seculi anno quadragesimo, *Paulus* III. Pont. Maxim. indulsit, vt vnicam quisque vxorem possit ducere, secundis nuptijs exclusis.

Huius instituti Eques fuit *Franciscus Radesius Andrada*, Hispanus, qui sua lingua Iacobæi, Calatrauæ & Alcantaræ Ordinum militarium scripsit historiā. Cōstitutiones porrò Militūm Calatrauæ, à Widone Abbate Cistertiensi, pòst S.R.E. Cardinale an. 1187. conscriptæ, leguntur apud Chrysost. Henriquez, in Priuilegijs ordin. Cistertiensis, Antverpiæ 1630. editis.

CAPVT IX.

ORDO EQVITVM ALCANTARAE, IN regno itidem Castellæ.

Militiam Equitum *S. Iuliani de Piró* (sic dictam, quòd in eius nominis opido, apud Legionenses, primum huius instituti cœnobiū sit excitatū) *Gomesius Fernandus*, E-
1170. ques nobilissimus CIƆ.CLXX. inchoauit. Eam pri-

primus probauit *Alexander* III. Pōt. Max. CIↃ. CLXXVII. *Lucius* III anno CIↃ.CLXXXIII. ipsis S. *Benedicti* regulā præscripsit. Insigne tum illis fuit *Pirus viridis* arbor, in scuto aureo: quod postea mutatū. Exinde *Alcantara* opido CIↃ. CCXVII. liberalitate *Martini Ferdinādi Quintanæ*, Calatrauæ Magistri XII. donati, vt beneficiū beneficio repēderent, illius ordinis vestē sumpserunt, & ab opido isto cognomentū induerunt. Cucullū & rubrā fasciam *cruce viridi* in candido scapulari anno CIↃ.CCCCXI. mutarunt: cū *Calatraua* Equites, quibus olim subfuerunt, rubrā crucem in albo clypeo, *Auisij* verò idem crucis insigne in scuto aureo præferant. Preces quotidianas, siue officiū, vt vocant, Ecclesiasticum, commune recitāt cum Calatrauensibus & Auisijs Equitibus. Habent & sacerdotes plurimos ordini adscriptos: quibus qui præest, itidem sacerdos, *Prior nuncupatur*. Hæc ferè Arnoldus Wionus, in Ligno vitæ lib. I. cap. 80. 1177. 1183. 1218. 1411.

Joannes Mariana, rerum Hispaniæ scriptor fidus & elegans, militiæ huius initia paulò aliter narrat: Anno CIↃ.CCXIII. Alfonsus *Legionensis Rex in Maurorum ditionem irruit, qua parte Legionensi imperio finitima erat: agris, opidis, villis illata vastitas. Ad Tagi ripam in veteri Lusitania* Alcantara *firmissimum opidum captū, quod Calatraua militibus dono Regis cessit:* *Li.12.c.3.* 1213.

vnde tamquam ex munitißima arce, atque fortißimo propugnaculo in hostium fines incurrerent ipsi, illorumq; impetus propulsarent. Hoc Alcantaræ *militibus initium fuit, tenue & inualidum, vt ferè rebus magnis. Cucullum & rubram fasciam qua longo tempore distingui consueuerunt,* Benedicti
1411. XIII. *qui se Pontificem dixit venia & auctoritate,* cruce viridi *mutarunt; salutis anno millesimo quadringentesimo vndecimo: cùm Calatraua milites, quibus olim subditi fuerunt, nunc vix contributi, rubræ crucis figura in candida veste vtantur.* Priuilegia porrò Militum S. Iuliani de Pereyro, qui nunc de Alcantara dicuntur, éxstant à Chrysostomo Henriquez lib. citat. pag. 505. edita.

CAPVT X.

MILITARIVM ORDINVM MAGISTERIA Ferdinando Magno Castellæ Regi attribuuntur.

HActenus de tribus sacris Castellæ ordinibus militaribus diximus. Multùm ij milites iuuerant ad Mauros ex vniuersa Hispania deturbandos, genere & factis nobilissimi. At Granata à Ferdinando Magno Castellæ Regi Mauris erepta, cùm parum iam terroris ab hoste esset, ordinum Magistri, quamquam socij & amici, Regibus plus æquo formidabiles exstiterunt: quòd & o-
pibus

pibus atque auctoritate plurimùm valerent, & tumultus bellaque sæpè in prouincia cõcitarent. Ea species facto est prætenta: vera an falsa, non disputamus. Certè in comitijs ordinum non lex & æquitas sæpè valebant; sed vis atque ambitio: Itaque ab *Innocentio VIII.* Pontif. Max: diploma est impetratum; quo sublatis Magistris, eorum ordinum administratio procuratioque omnis Castellæ Regibus credebatur. Sic *Garsia Lopezio Padilla*, *Calatrauæ* Magistro, anno salutis CIↃ.CCCCLXXXIX. defuncto, eius locum *Ferdinandus* Rex excepit: nullo ampliùs Equitum suffragijs, vti moris erat, Magistro substituto: Quod exemplum ad *D. Iacobi* ordinem manauit, anno CIↃ.CCCCXCIII. *Alfonso Cardena*, eius militiæ Magistro è viuis sublato: Atque vt finis esset, anno proximo à *Ioanne Stunica*, *Alcantaræ* Magistro, impetratum est, vt honorem illum, in eiusdem Regis *Ferdinandi* gratiam, Hispalensi Archiepiscopatu mutaret. Accessit eidem post annos aliquot Cardinalicia dignitas, Pontificis quidem beneficio, at Regis in primis gratia atque auctoritate. Sic *Ferdinando* trium illorum ordinum præfecturæ cesserunt: vt vita superstite, eorum ipse ditionem opesque procuraret. *Alexander VI.* Papa ad Innocentij veniam adiecit porrò in ea administratione *Isabellam* Regi-

Mariana lib. 26. c. 5.

1489.

1493.

1494.

Reginam ſociam, cum iure ſuccedendi, ſi quid marito humanitùs contigiſſet. Poſtremò *Hadrianus VI.* in alumni *Caroli V.* Imperat. gratiam, ipſi & ſucceſſoribus conceſſit ius præſentandi Epiſcopos Hiſpaniæ, qui antè ad Regum ſupplicationem precariò à Romanis Pontificib. inſtituebantur: adhæc vt tres iſtos ordines in omne tempus ipſi adminiſtrarent.

CAPVT XI.

ORDO S. MARIAE DE *Mercede.*

CIrca annum Chriſti 12.8. (aut 1232. vt Onuphrius Panvinius in Chronico ſuo ſcribit) Barcinone in Hiſpania piorum hominum noua ſodalitas eſt inſtituta, nomine *S. Mariæ de Mercede.* Multi terra mariq; Chriſtiani homines, capti à Mauris, & in ſeruitutem abacti, vitæ acerbitate à fide Chriſto data mouebantur. Magnum id dedecus religionis erat, & Chriſtiani nominis probrum. Cuius procurandi ſtudio, hominum ſocietas inſtituta eſt, qui corrogatis vndique eleemoſynis ſtipe redacta, captiuos cum fide redimerent. *Iacobus I.* Aragoniæ Rex præcipuus eius ordinis auctor eſſe creditur, voti reus (vt quidam ſcribunt) quod Montione dum captiui inſtar teneretur, Virgini matri nun-

nuncuparat; vſu edoctus quantum eſſet captiuitatis malum. Secundum Regem *Petrus Nolaſcus*, homo Gallus, ducem ſecuturis ſe præbuit: optimiſque legibus & inſtitutis naſcentem familiam temperauit. Regia inſignia, cruce impoſita, in rubro clypeo, ad veſtem candidam toti familiæ, diſtinctionis gratia, contributa ſunt. Ipſe Nolaſcus ea in ſanctæ Crucis templo, coram Rege & proceribus, de manu Raimundi Pennafortij, qui tunc Regi à confeſſionibus erat, & deinde ordinis Dominicani Magiſter fuit, ſolemni cæremonia ſuſcepit. Sic ferè Mariana lib.12.cap.8.

Cæterũ ordo Mercenariorum olim partim Milites, partim Monachos, hodie ſolùm Monachos complectitur. Viuunt hi ſub regula S. Auguſtini, quam ipſis Gregorius IX. Papa anno 1235. præſcripſit: *Gregorius Episcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Magiſtro & fratribus domus S. Eulaliæ Barcinonenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtræ precibus inclinati, præſentium vobis auctoritate concedimus, vt cum nondum aliqua ſit à vobis ex religionibus aſſumpta, B. Auguſtini poſitis ordinem profiteri. Datum Peruſij* XVI. *Kalendas Februarij, Pontificatus noſtri anno octauo.*

CAPVT XII.

ORDO EQVITVM MONTESIAE, IN *Regno Valentiæ.*

IAcobo II. Aragoniæ, Catalauniæ, & Valētiæ Rege, per legationes agente, ex prædijs, quæ Templarij in Valentino tractu obtinuerant, noua vt militia constitueretur,
1317. anno CIↃ.CCCXVII. à *Ioanne XXII* Pont. Max. est impetratum: Calatrauæ quidem contributa, proprio tamen Magistro, veste candida, & *cruce rubra* insignis, simplici planaque. *Cistertiensis* instituti legibus viuere, mandatum est. Præcipua sedes *Montesia*: vnde & militiæ nomen. Infestabant id temporis Mauri littora Valentina: quibus tuendis egregiam Equites isti operam præstitere. Primarius huius instituti auctor fuit *Gulielmus Erilius*, vir fortissimus. Solent autem Equites isti in vexillis militaribus cruces viridi nigroque colore distinctas, in scutis autem vestibusq; cruces, vt dixi, rubras præferre, & castitatem omnes profiteri. Quæ violata est temporibus Cæsaris Borgiæ, Magistri ordinis XI. summis Pontificibus certas ob caussas indulgentibus.

Hierō. Surita lib. 2. rerū Arag.

Inter Magistros ordinis meritò laudatur *Iacobus*, Iacobi Aragoniæ Regis filius: cui Eleonora Alfonsi Castellæ Regis filia cū esset despon-

desponsata, ea intacta relictaque, militiæ huic nomen dedit, laudatissimeque præfuit. Nostra ætate *Iacobus Falco*, Valentinus, huius ordinis miles, insignem *De quadratura circuli* commentarium edidit, Antverpiæ typis Bellerianis. Plura qui volet Ioannem Marianam, Consaluum Argotem Molinam libro De nobilitate Hispaniæ, aliosque eius prouinciæ historicos consulat. Qui quidem vnanimi consensu, non ad *Iacobi I.* cognomento *Fortunati*, vt Volaterranus, Bugianus, & alij per errorem fecere, sed ad *Iacobi II.* Aragoniæ Regis tempora, huius equestris militiæ initia referunt. Ex quibus patet & Onuphrium Panvinium, in Chronico suo Ecclesiastico, ista perperam anno Chr.1233. adscribere. 1591.

CAPVT XIII.

ORDO MILITVM S. MICHAELIS SIVE de Ala, itemq; Equitum Christi ordo, apud Lusitanos.

PORtugallia, siue vt alij scribunt, Portugalia, (quæ prouincia maiori ex parte veteribus Lusitania fuit) secundum Oceanum occiduum fusa, & Ana ac Minio fluminibus ad meridiem Septemtrionesque comprehensa, longitudine quadringenta millia passuum colligit, multò minori latitudine, &

vbi arctiſſimè ſe pandit, centum ampliùs ſexaginta millium, vbi arctiſſimè coit, octoginta. Diuiſa eſt in partes tres, *Ciſtiganam*, *Transtaganam*, & tractum eum qui Minio, Durioque continetur, prouentu lætiſſimus, vbi *Bracara* ſita eſt: citra Tagum autem *Oliſippo*, vltra Tagum ſpectatur *Ebora*, Metropolitanæ vrbes. Cæterùm vt in Caſtella, ſic & in Luſitania varij ordines militares numerantur: quorum quidem militum incredibili virtute freti Reges Luſitaniæ, Mauros olim ea prouincia expulerunt, auorumque ætate, Africam, Aſiam, atque alio ſub ſole iacentes Indos, ſibi tributarios fecerunt, veræque religionis lumen in remotiſſimas nationes intulerunt. Hos inter ordines apud Luſitanos is antiquiſſimus habetur, quem titulo *S. Michaelis* ſiue de *Ala* anno 1166. Alfonſus primus Portugaliæ Rex condidit: exſtantque Conſtitutiones ab eodem Rege ſcriptæ apud Chryſoſtomum Henriques, libro ſuprà non ſemel citato, pag. 482. Hodie porrò apud Luſitanos ordo nobiliſſimus cēſetur, qui Chriſti nomine inſignitur. Cuius quidem ſodales, ex *Ciſtertienſium* inſtituto viuentes, nigra veſte vtuntur, & *cruce* partim *rubra*, partim *candida*. Sunt enim quatuor eius brachia per medium diſciſſa, & linea candida interſecante

diſtin-

distincta: sic vt in singulis brachijs binæ cruces appareant, rubra & candida. Militarem hunc ordinem, aduersus Mauros institutũ, *Ioannes* XXII. Pont. Max. anno CIↃ. CCCXIX. confirmauit: exstatque diploma apud Chrysostomum Henriquez lib. cit. pag. 531. Huic sodalitio Templariorum nuper deletorum opida, prædia, ædesque à *Dionysio* Lusitaniæ Rege sunt attributæ. Primarium ordini domicilium ad *Castrum Marinum*, in diœcesi Eluensi, est constitutum: inde postea *Tomarium* migratum. Sic ferè Mariana: at Panvinius, in Chronico suo Ecclesiastico, ad annum 1325. ista reijcit. Exstant huius ordinis Regulæ seu Constitutiones, itemque Priuilegia Lusitanè edita Olisipone, à *Damiano* Priore conuentus Tomariensis, & Generali eiusdem ordinis Præfecto, Connubij porrò facultatem ab Alexandro VI. Pontif. Max. militibus istis concessam lego. 1607.

CAPVT XIV.

EQVITVM AVISIORVM ORDO IN Lusitania, qui olim Eborenses sunt dicti.

EBora vrbs Lusitaniæ celeberrima, & frequenti Regum Portugalliæ domicilio nobilissima, quibusdam militibus, quorum magna erat opinio virtutis, ad Mauro-

rum incursus arcendos, munienda custo-
diendaque data est ab *Alfonso* huius nominis
1147. primo Lusitaniæ Rege, anno Domini CIↃ.
C.XLVII. Qui, vt præmium labori esset, ipsam
vrbem, cum finitimis agris, dono dedit bea-
tæ MARIAE, ordinis Cistertiensis patronæ,
atque eius nomine, *Ferdinando Monteiro*, pri-
mo ordinis Magistro, & socijs iure perpe-
tuo: vnde illis primum nomen *Eboræ militum.*
Regula militibus huius ordinis 1162. à Ioan-
ne Ciuita, Abbate Taroucano, scripta, exstat
apud Chrysostomum Henriquez in Priuile-
gijs ord. Cistertiensis, pag. 481. & 514. Resq;
adeò creuit, vt & Christianorum ære colla-
ticio facultates maximas, & opida quamplu-
1181. rima possiderent, creato magistratu, cui ob-
temperarent Anno deinde CIↃ.C. LXXXI. ca-
stro siue opido *Auisio* aucti ab eo nomen in-
duerunt. Vestis, præter *crucem rubram*, ab ini-
tio nullum discrimen. Quo in statu annis sex
& sexaginta perstitere, donec ann. CIↃ.CCXIII.
1213. Roderici *Garsiæ*, Magistri VII. militiæ Cala-
trauensium liberalitate, donati sunt amplis-
simis possessionibus in regno Portugalliæ: &
tunc primùm formula ordinis constituta, &
Andr. Resendium de vrbis Eborensis antiquitatib. & alba vestis, cum *crucis rubræ* figura, Equiti-
bus est attributa. Magistri eis fuere diuersis
temporibus, cùm sanctitate, tum etiam bel-
lica laude clari.

Inter illustres istius ordinis Magistros, maximè commendatur *Ioannes* Petri Lusitaniæ Regis, cognomento Crudelis, filius naturalis: qui Ferdinando Rege humanis rebus exempto, Portugalliæ Rex renuntiatus, fretum Herculeum primus victor traiecit, & insulas tres (quas vulgo *Dispersas* vocant) Septamque Africæ vrbem, pulsis Mauris, occupauit: obijtque anno CIↃ.CCCCXXXIII. 1433.

Haud abs re fuerit hic breuiter adnotasse, olim sex Ordines militares sub regula Cistertiensi vixisse, videlicet *Templi, Calatraua, Alcantaræ, Auisij, Montesiæ* & *Christi*. His accessit anno 1572. ordo Equitum S. Mauritij; de quo infrà hoc lib. cap. 18. agemus.

CAPVT XV.

ORDO HOSPITALARIORVM S. SPIritus, itemq; S. Antonij.

HIc ordo primùm natus videtur apud Gallos in Monte Pessulano; vt ex Innocentij III. Papæ diplomate, quod ex Bullario subnectam, colligi datur:

Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, Guidoni Magistro Hospitalium S. Mariæ in Saxia, & S. Spiritus in Monte Pessulano, eiusque fratribus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Inter opera pietatis, quæ secundum Apostolum promissionem habent vitæ,

quæ nunc est, pariter & futuræ, hoſpitalitatem nobis ſpecialiter & frequenter diuina Scriptura commendat. Hæc igitur attendentes non ſolùm pro noſtra, ſed prædeceſſorum & ſucceſſorum, & fratrum noſtrorum Epiſcoporum, presbyterorum atq; Diáconorum Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, tam viuorum quàm etiam defunctorum ſalute, apud S. Mariam in Saxia, locum vtique ſatis idoneum ad hoſpitalitatis officium exercendum, eleemoſynis Eccleſiæ Romanæ venerabile conſtruximus Hoſpitale; in quo futuris temporibus recipiantur & reficiantur pauperes & infirmi, & exhibeantur alia opera pietatis. Statuentes vt regularis ordo, qui ſecundùm Deum & inſtitutionem fratrum Hoſpitalis S. Spiritus (de Monte Peſſulano) in eodem loco per nos inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Hoc tamen adiecto, vt in eadem Eccleſia quatuor ſemper ad minùs ſint Clerici regulam eiuſdem Hoſpitalis profeſſi, qui pro nobis & prædeceſſoribus ac ſucceſſoribus, & fratribus noſtris, viuis pariter ac defunctis, ſpecialiter orantes, omnia ſpiritualia liberè adminiſtrent, & ſuper ijs nullius niſi Romani Pontificis correctioni ſubiaceant. Ipſi autem victu & veſtitu contenti, quem ijs ſecundùm eamdem regulam præcipimus exhiberi, diuinis vacent officiis, & intendant Eccleſiaſticis Sacramentis: Ita quòd de alijs Hoſpitalis negotiis, præter conceſſionem Magiſtri, ſe nullatenus intromittant.

Cæte-

Caterùm quoniam in Hospitali S. Spiritus (de Monte Pessulano) diebus nostris hospitalis caritas valde viget, illud isti & istud illi, de consilio fratrum nostrorum, vnimus: vt & istud illi tantò vtilius munimentum impendat, quantò vicinius nobis existens defensionem nostram illi facilius poterit implorare: illudq; isti tantò commodius subueniat in ministris, quantò personæ conuersantes in illo ad hospitalitatis sunt officium aptiores: Ita tamen vt per hanc vnionem prædictum S. Spiritus Hospitale iurisdictioni Magalonensis Ecclesiæ minimè subtrahatur. Statuimus insuper, vt vnus tantum Magister Hospitalibus præficiatur ambobus, qui vtrumque visitet annuatim, & quæ statuenda vel emendanda viderit, statuat & emendet, & transferendi fratres, vbicumque fuerint, prout melius viderit expedire, liberam habeat facultatem. Qui si forsan Minister apud Vrbem, vel vbilibet circa montes, viam fuerit vniuersæ carnis ingressus, fratres Hospitalis S. Mariæ in Saxia fratribus Hospitalis S. Spiritus, eius non differant obitum nuntiare. Illique Romam duos vel tres de fratribus suis mittant, qui cum fratribus Hospitalis S. Mariæ in Saxia electionem celebrent regularem. Quod si forsan apud Mõtem Pessulanum obierit, vel vbilibet vltra Montes, per fratres S. Spiritus fratribus S. Mariæ ipsius obitus nuntietur: qui vt prædiximus duos vel tres de fratribus suis Montem Pessulanum transmittant, ad electionem regulariter celebrandam. Item statuimus,

tuimus, vt fratres qui colligendis eleemosynis, pro pauperibus Hospitalis S. Mariæ in Saxia fuerint deputati, tantùm Italia, Sicilia, Anglia & Hungaria sint contenti. Fratres autem S. Spiritus in Monte Pessulano, liberè in prouinciis reliquis eleemosynarum statuant Collectores: ita quòd vtrique suis terminis sint contenti, nec inuadant alteri terminos aliorum. Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Subdiaconi & Notarij, XII. Kalendas Iulij, Indictione VII. Incarnationis Dominicæ, Anno MCC.

Ex isto Innocentij III. diplomate colligitur, primam domum Hospitalariam, titulo S. Spiritus, in Monte Pessulano ædificatam fuisse, & ex ea deinde Clericos aliquot Romam euocatos domui Hospitalariæ (quam Innocentius III. Papa, iuxta vetustum templum S. Mariæ in Saxia, ædificauerat ac dotarat) præfuisse. Quæ quidem duo Hospitalia (vt vocant) idem Pontifex anno 1204. coniunxit atque vniuit. Exinde decursu temporis, totius ordinis caput esse cœpit Hospitale Romanum, nunc S. Spiritus in Saxia nuncupatum: in quo Magister seu Præfectus generalis hodieque residet. Huius porrò instituti sodales (qui & inter Equites censentur) gestant duplicem Crucem albam, vestibus assutam; viuunt sub regula S. Augustini, & plurima possident cœnobia atque

Hospi-

Hospitalia in Italia, Sicilia, Hispania, Gallia, Burgundia, Germania & alibi.

Ceterùm, præter ordinem Hospitalariorum S. Spiritus; est alius ordo *Hospitalariorum S. Antonij*, circa an. 1121. à Gastone Viennēsi in Gallia inchoatus: de quo in Originib. nostris Monasticis, Coloniæ editis, fusè egimus.

CAPVT XVI.

ORDO EQVITVM B. MARIAE, item Sepulchri CHRISTI, *apud Italos.*

ORdo militaris titulo *S. Mariæ gloriosæ*, ad pacificandas Italiæ ciuitates, anno ferè 1233. excitatus est, auctore *Bartholomæo Vicetino*, ordinis Prædicatorum, eius posteà vrbis Episcopo: vt tradit Carolus Sigonius. Quod institutum *Vrbanus* IV. Papa circa annum 1262. approbauit: leges verò attulit *Rufinus Gurgo*, Placentinus, Pontificis Pœnitentiarius, quas scripserant huic ordini sese dicantes viri aliquot, diuitijs ac nobilitate præstantes, *Catellanus*, *Malauolta*, *Loderengus*, *Andalus*, *Gruamons*, *Caccianimicus*, & *Hugolinus Lambertinus*, Bononienses, *Sclauia Liazarius* Regiensis, & *Rainerus Adelardus* Mutinensis. Erant autem istæ: vt tunicam albam & subcinericiam togam induti, *crucem purpuream* in campo albo, duabus suprapositis stellis,

Lib. 17. & 19. de regno Italiæ.

præ-

præferrent; vtque viduarum & pupillorum tutelam susciperent, pacique & concordiæ inter homines conciliandæ studerent. Quoniam autem suis quisque in ædibus, cum vxoribus & filijs, vitam agebat, vulgò *Fratres Gaudentes* vocati sunt: vt Ioannes Villarius & Salmonenus in suis Chronicis prodiderunt. Huius ordinis primus Magister ipse *Loderengus* est constitutus, vir multis nominibus laudandus.

Equites Sepulcri Christi.

Fuit olim & ordo Equitum *Sepulcri Christi* in Italia & Gallia celebris: cuius quidem candidati binas *cruces rubras* pro tessera in veste præferebant; sede primaria Perusiæ constituta. Hos Innocentius VIII. Papa Rhodijs Equitibus adiunxit, ann. 1490.

Militia Iesu Christi contra hæreticos.

De ordine militiæ IESV CHRISTI in Italia, contra hæreticos, à Sancto Dominico, Prædicatoriæ familiæ principe, instituto, disertè agit Bernardus Luceburgius, in libello De Ordinibus militaribus, & armorum militarium mysterijs, Coloniæ Agrippinæ ann. 1527. euulgato. Traditque ipsos veste partim nigra; partim candida vsos fuisse, atque exstinctis per beatos Dominicum. Petrum martyrem, aliosque sodales in Italia hæresibus, militiæ spirituali totos sese dedisse, dictosque *Fratres & Sorores de pœnitentia S. Dominici.*

Idem

Idem Luceburgius memorat ordinem militum *Sancti Georgij* in Carinthia ab Alexandro VI. Papa & Maximiliano I. Imper. aduersus Turcas fuisse institutum; *cruce aurea, cum corona in circulo aureo*, pro insigni attributa. *Ordo militum S. Georgij.*

CAPVT XVII.

ORDO EQVITVM S. LAZARI.

Titulo Sancti Lazari plurima per orbem Christianum Nosocomia seu Hospitalia olim ædificata exstiterunt. Hoc titulo S. Basilium Cæsariensem Episcopum excitasse Nosocomium tradunt. Vt vt sit, post Hierosolymam ab Europæis, Duce Godefrido Bullonio, occupatam, in ea vrbe famosissimum Nosocomium seu Hospitale leprosorum titulo S. Lazari excitatum fuit: in quo lepra laborantes (qui morbus ijs in terris frequens esse solet) excipiebantur: exstantque plurima Pontificum Romanorum diplomata ad Magistrum dicti Hospitalis hoc aut simili titulo scripta: *Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei, Magistro & fratribus Hospitalis leprosorum S. Lazari Hierosolymitani, ordinis S. Augustini.*

Cæterùm vt Templarij, Ioannitæ & Mariani seu Teutonici, sic & Lazarini Equites illo æuo homines Christianos ex Europa in

Syriam

Sytiam aduentantes, præsertim ægros non modò hospitijs exceperunt, sed & strenuè Saracenis alijsque barbaris arma intulerunt. Quo factum, vt Balduinus II. Fulco, Amalricus, Balduinus III. & IV. Reges Hierosolymitani, item Theodora & Melesindis Reginæ, alijque Principes, Lazarini ordinis domicilia plurimis beneficijs affecerint; quorum testes tabulæ publicæ Boniaci (vulgò *Boigny*) apud Francos in Diœcesi Aurelianensi asseruantur. Hunc verò locum Ludouicus Galliæ Rex anno 1154. Lazarinis attribuit; scripto diplomate; quod Hugo Cancellarius sua manu signauit; Matthæo Montmorencio inter alios testes præsente.

Exinde Europæis è Syria per Saracenos pulsis, Magister ordinis Lazarini Domicilium Boniaci collocauit: quo in loco comitia seu conuentus publici à sodalibus vsque
1558. ad annum millesimũ quingẽtesimum quinquagesimum octauum sunt habiti. Atque eo quidem anno comitijs interfuerunt Cõmendatores, S. Eligij Londinensis in Anglia; Bandarræ in Hungaria; Agresolij in Sabaudia, & alij plures à Ioanne Leuyo Magistro ordinis euocati. Vt mirum nemini videri debeat, Philippum Augustum, S. Ludouicum, Philippum Pulchrum, Philippum Longum, Ioannem, Carolum VII. Ludo-
uicum

uicum XI. Carolum VIII. Ludouicum XII. Franciſcum I. Henricum II. Galliæ Reges, Henricum item Angliæ Regem, Aquitaniæ Normanniæque Ducem, Theobaldum Comitem Bleſenſem, alioſque Galliæ Principes, multis ſodalitium Lazarinum vectigalibus annuis ac priuilegijs honoraſſe: vt fusè Petrus Beloyus Conſiliarius Toloſanus in ſuo de Equeſtribus ordinibus libello cõmemorat. Idem præſtitit Fridericus II. Imp. & Siciliæ Rex. qui in ea ipſa inſula, itemque in Calabria, Apulia, Campania, alijſque Italiæ locis ampliſſima ijſdem prædia attribuit. Quas donationes Alexander IV. Nicolaus III. Clemens IV. Ioannes XXII. Gregorius X. alijque Pontificis Romani ſuis poſtea diplomatibus ſtabiliuerunt. Solent autem Lazarini milites Crucem viridem, pro ordinis teſſera præferre, & S. Auguſtini regulam profiteri: quæ omnia Gregorius IX. tabulis editis probauit.

Temporum porrò decurſu, cùm inſtituti huius dignitas iaceret, Equites Rhodij ab Innocentio VIII. Papa, anno CIↃ. CCCC. XC. impetrarunt, vt cum Rhodio ſeu Ioannitico ordine coniungeretur: Sicque paulatim ordinis Lazarini memoria, cùm apud Gallos tum apud Italos, eſt obſcurata. At Pius IV. Pontifex illum ipſum anno CIↃ. IↃ, LXV. in

vſum reuocauit, ampliſſimiſque priuilegijs, honoribus, immunitatibus, inſtar aliarum Militiarum dotauit; Ioannoto Caſtellionæo, Mediolanenſi, ordinis Magiſtro creato, & diplomate ea de re IV. Nonas Maias promulgato.

Caſtellionæo defuncto (is anno 1572. obijt) Greg. XIII. Pontifex poſſeſſiones Lazarinorum apud Allobroges & Pedemontanos ſitas ordinis S. Mauritij, & Clemens VIII. prædia eorumdem in regno Franciæ ſita ordini Equitum S. Mariæ Carmelitanæ attribuit & annexuit: vt infrà dicemus.

CAPVT XVIII.

ORDO EQVITVM S. MAVRITII *apud Sabaudos.*

MAuritius legionis Thebææ dux ſub Diocletiano Imperat. apud Veragros martyrium fecit. Hunc Sabaudi vt ſuum patronum à multis retrò ſæculis venerantur. Petrus Sabaudiæ Comes, anno 1268. ſine liberis moriens, fratrem ſuum Philippum heredem inſtituit. Cui annulum S. Mauritij (quē à monaſterij illius in Veragris Abbate olim dono acceperat) vt futuri imperij teſſeram ac ſymbolū, tradi imperauit. Sacri iſtius annuli traditio, hodieque apud Sabaudos velut inueſtituræ locum obtinet. Cæterum Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux ordinē

Equi-

Equitum S. Mauritij primus anno 1572. instituit, Gregorio XIII. Pontifice approbante. Cur autem instituerit, ipse Pontifex suo in diplomate explicat.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inter cateras Christiani populi partes, pracipuè Hareticorum venenis, dolis, insidijs atque oppreßionibus obnoxia conspiciuntur Sabaudia & finitima regiones, ob vicinitatem adiacentium quorundam locorum, præsertim Geneua, à qua ipsa Haresum contagio & pestis circumquaque serpsit atque manauit. Itaque tum dilectus filius, nobilis vir; Emanuel Philibertus Sabaudia Dux, pro sua præstanti pietate ac prudentia, hac diligenter considerans in animum induxerit, ad alia qua ipse consueuit, tuenda & augenda Catholica religionis caussa, in locis ditioni sua subiectis adhibere remedia, illa & adiungere, vt ex delectis omnis generis Christiani populi militibus, vnam S. Sedis auctoritate conficiat militiam, Beati Mauritij martyris nuncupatam, (quem idem Emanuel Philibertus Dux & eius antecessores vt præcipuum suum ac rerum suarũ protectorẽ eximio ac perpetuo studio & veneratione sunt ꝓsecuti) idq; nobis exponi fecerit, ac simul supplicari, vt hoc ei impartire dignaremur. Nos optimũ illius consiliũ, ac ipso maioribusq; eius clarißimis & præstantißimis Principibus dignũ animũ meritis in Domino laudibus cõmendantes, ac ꝓspiciẽtes ipsam

sic cõstituendã militiã maximo vsui & præsidio forẽ nõ solũ ipsis Sabaudiæ & Pedemõtiũ prouincijs, sed toti etiã Italiæ ad sustinẽdos & propulsãdos quosuis hæreticorum & infideliũ impetus, ac oportunißimũ ibi propugnaculum, munimentum, & auxilium habituros esse Nos Ecclesiamque Romanam, ac vniuersam Christianam Rempublicam, in ipso Militiæ robore ac talis Ducis maxima virtute, rerumq; bellicarum summa & sæpe cognitâ peritia; illi super hac re annuendum, piosq; eius conatus speciali fauore & gratia duximus prosequendos.

Quare eius supplicationibus inclinati, vnum militiam, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & fidei Catholicæ in dictis Sabaudiæ & Pedemontis regionibus defensionem, ac vniuersæ Italiæ, totiusq; Christianæ Reipublicæ salutem & commodum, sub inuocatione S. Mauritij martyris, & regula Cistercienſi nuncupandam per Christianum orbem, cuius suprema sedes & militum conuentus in loco ab eodem Emanuele Philiberto Duce in Sabaudia statuendo & aßignando, perpetuò sit, & in ipsa militia vnum Magistrum Magnum vocandum, supremam eiusdem militiæ dignitatem prò vno Magistro, qui illius caput existat, cum eo quo sibi expedire videbitur, militum & ministrorum numero (qui milites cum vnica tantum & virgine coniugati, ad habitum & professionem regularem admitti, seu qui pro tempore admißi fuerint, matrimonium cum simili virgine & vnica duntaxat, contra-

contrahere possint, aliàs verò ipsi castitatem coniugalem & obedientiam expressè profiteantur) auctoritate Apostolica perpetuo erigimus & instituimus. Datum Romæ apud S. Marcum, anno incarnationis Dominicæ 1572. XVI *Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.*

Hæc visum fuit paulò fusiùs commemorare, ad eos confutandos qui Amadeum Sabaudiæ Comitem faciunt ordinis Equestris Mauritiani auctorem.

CAPVT XIX.

ORDO EQVITVM S. MAVRITII ET S. Lazari, apud Sabaudos & Pedemontanos.

IOannoto Castellionæo, Equitum Lazarinorum Magistro, Vercellis anno 1572. è viuis sublato, Gregorius XIII. Pontifex idem magisteriũ Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci contulit, & ordinem S. Mauritij, superiore capite memoratum, cum Lazarino coniunxit. Statuitque vt *Equites S. Mauritij & S. Lazari* inposterum nuncuparentur, vtque Crucem viridem limbo candido conclusam, vt eius vmbilico Crucem candidam, quæ est Mauritiana, impositam pro tessera gererent. Dux verò Philibertus duo amplissima domicilia, vnum Nicææ, alterum Augustæ Taurinorum, excipiendis

Equitibus, à fundamentis ſuo ære excitauit, & poſſeſſiones Lazarìnorum, ſuis in ditionibus ſitas, eiſdem Equitibus, probante Romano Pontifice, attribuit.

CAPVT XX.

ORDO EQVITVM S. MARIAE DE *Monte Carmelo, & S. Lazari, in regno Franciæ.*

RHodij milites, qui nunc Melitenſes dicuntur, ab Innocentio VIII. Papa anno 1490. impetrarant, vt Lazarini milites Rhodijs adſcriberentur. Itaque Rhodij in Gallia Equites Lazarini ordinis præfecturam ac prædia ſibi vindicarunt ad noſtram vſque ætatem, qua *AEmarus Caſtus*, Eques Melitenſis, de Lazarinorum apud Francos ordine inſtaurando cogitare cœpit. Quo laudabili in opere cùm defeciſſet, locum demortui *Philippus Nereſtanus* excepit. Is Romam profectus, fauente Henrico IV. Galliæ Rege, à Paulo V. Pontifice obtinuit, vt noua veluti militia, titulo *Equitum S. Mariæ de Monte Carmelo & S. Lazari*, in regno Franciæ inſtitueretur; vtque Equites iſti coloris violacei Crucem, Virginis Matris effigie inſignem, ex collo pendentem, itemque chlamydi affixam, exemplo Melitenſium, præferrent. Vſus eſt idem Nereſtanus Ro-

mæ consilio & opera laudatissimi viri *P. Petri à Matre Dei*, Carmelitæ discalceati, qui Paulo Pontifici à sacris tunc erat concionibus, eidem ob singularem morum integritatem, vitæque sanctitatem longè gratissimus: quo nomine & à Baronio in Annalibus eximiè commendatur. Cæterùm cùm anno 1609. & sequenti Parisijs negotiorum publicorum caussa agerem, Nerestanum vidi in suburbano S. Lazari cœnobio (quod est Canonicorum regularium) solemni ritu Equites aliquot creantem, adhibitis eisdem ferè cæremonijs, quibus Melitenses inaugurari solent. Hoc tamen discrimine, quòd Carmelitani in Frãcia Equites (vt nec Mauritani in Sabaudia) à nuptijs non arceantur.

CAPVT XXI.

EQVITES SEPVLCHRI DOMINICI *seu Ierosolymitani, & S. Catharinæ.*

AGmen claudant milites siue Equites toto orbe notissimi, quos *Ierosolymitanos*, siue *sancti Sepulcri Domini nostri* IESV CHRISTI *in Ierusalem* nuncupant. Ij à Præfecto seu Guardiano, vt appellant, sodalium Franciscanorum in ipsa vrbe Ierosolymitana, ad quem religionis ergò Christiani confluere solent, pijs cum cæremonijs crean- *Equites Ierosolymitani, siue S. Sepulcri.*


crean-

creantur. Quas legere si voles, Froimontium, Villamontium: Suallartium, aliosque Itinerarij Ierosolymitani scriptores consule. Regulas siue Ordinationes, ipsis præscriptas, Villamontius, Radziuilius & alij recitant.

Similis ferè generis sunt Equites *S. Catharinæ*, qui in Monte Sinai, virginis istius reliquijs nobili, creari solent. Gestant ij Rotam pro insigni.

* * *





ORIGINES EQVESTRIVM ORDINVM, LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

ORDO EQVITVM VELLERIS *aurei.*

De sacris Ordinibus Equestribus, quos vulgò *Religiones* nuncupant, libro superiore egimus. Nunc de ijs Equitum familijs agendum, quę passim *Ordines* audiunt. Eas inter, liceat primas dare Equitum *Velleris aurei* Collegio, omnium longè nobilissimo.

Philippum cognomento *Bonum*, Burgundiæ Brabantiæque Ducem, iure meritissimo *Belgici imperij conditorem* appellant; quod Flādriæ, Artesiæ, Hannoniæ (quas prouincias paterna hæreditate acceperat, Brabantiam, Luceburgum, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, Namurcum, aliasque Germaniæ inferioris ditiones paullatim adiecerit, atque vnum in corpus feliciter iunxerit. Princeps hic verè *Bonus*, tuendæ maiorum religioni, &

augendo stabiliendoque imperio, Equitum
1430. *Velleris aurei* sodalitium longè augustissimum instituit. Ducta nimirum origine appellationeque atque ab *Iasone*, qui in Colchida cum Argonautis ea profectus est naui, quæ maria primùm sulcasse dicitur, & nuncupata est

Argo. quòd Argiui in ea lecti viri
Vecti, petebant pellem inauratam arietis:

seu potiùs à *Gedeone*, magno illo Israelitarum duce, qui vellus primò siccum, deinde rorulentum vidit, intactæ scilicet Virginis-Matris symbolum, eoque signo confirmatus, trecentos iussu Dei viros elegit, quibus numerosas Madianitarum copias profligaret. Ipso itaque nuptiarum die, quas Brugis Flandrorum III. Idus Ianuarij CIƆ. CCCCXXX. (si calculum Romanum sequamur) cum E-
1430. *lisabetha*, Ioannis Lusitaniæ Regis filia, regio luxu celebrauit, Equites viginti quatuor delegit, & singulos torque aureo donauit: torque sic fabrefacto, vt ex silicib. ac ferro, quo ignis è silicibus excutitur, cōstare videretur; ima verò torquis parte *Vellus aureum* penderet. Rudes adhæc atque impoliti è lauro stipites decussatim propositi: circum stipites verò emicantes flammæ, vestes, ritus sacrorum, sessionum, aliaque id generis plura sunt descripta. Singulos item toga coccinea siue pur-

purpurea lanea in comitijs publicis *Philippus* vti voluit: quàm filius *Carolus Audax*, comitijs ciɔ.ccccLXXIII, apud Valentianas in Hānonia celebratis, in holosericam commutauit. 1473. Idem porrò *Philippus Bonus* quatuor, vt vocant, Officiarios, *Cancellarium*, *Thesaurarium*, *Heraldum* siue *Regem armorum*. & *Secretarium* siue *Scribam*, huic equestri collegio subministrare voluit. Cæterùm initio non nisi XXV. Equitibus collegium constitit, ipso *Philippo* Duce cæteris adnumerato: idem tamen diplomate ciɔ.ccccXXXI. Insulis Flandrorum dato, cœtum XXXI. Equitum deinceps futurum pronuntiauit. 1431. At *Carolus* postea quintus eo nomine Cæsar, anno sui sæculi decimosexto, Bruxellis conuentum agés, sodalitium vnius & quinquagenta Equitum statuit. 1516. Libet autem, ne quid à nobis omissum curiosus Lector queratur, ipsum *Philippi Boni* diploma, ex Gallico Latinè redditum hic recitare.

Philippi Boni diploma.

Philippus Dei gratia Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Comes Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Namurci, Palatinus, Marchio sacri Imperij, dominus Salinarum & Mechliniæ. Notum facimus omnibus præsentibus & futuris, quòd propter magnum & perfectum amorem, quem habemus erga nobilem statum & ordinem dignitatis equestris, cuius honorem ardenti studio &

& singulari affectu exoptamus augere, per quem ordinem vera religio Catholica, status nostræ sanctæ matris Ecclesiæ, & tranquillitas prosperitasque Reipublicæ sit defensa, custodita, & conseruata: Nos ad laudem & gloriam omnipotentis Creatoris & Redemptoris nostri, ad reuerentiam matris eius gloriosæ virginis, & ad honorem S. Andreæ gloriosi Apostoli & martyris, ad exaltationem fidei & sanctæ Ecclesiæ, & excitationem virtutum & bonorum morum, 10. die mensis Ianuarij, [a] *anno Domini 1429. qui erat dies solennisationis matrimonij inter nos & nostram carissimam & amantissimam coniugem Elisabetham, in opido nostro Brugensi, accepimus, creauimus & ordinauimus, & per has præsentes accipimus, creamus, & ordinamus ordinem & fraternitatem dignitatis Equestris, & amicabilis societatis certi numeri Equitum, quem volumus appellari* ORDINEM VELLERIS AVREI, *sub forma, conditionibus, statutis, modis, & articulis qui sequuntur: Primo ordinamus, vt in ordine antedicto sint vnus & triginta Equites, viri nobiles nomine & armis, sine reprehensione, quorum nos erimus caput & præses, & post nos successores nostri Duces Burgundiæ, &c. Datum in nostro opido Insulensi 27. die Nouembris, anno gratiæ 1431.*

[a] *Iuxta veterem Flandriæ calculum, quo annus à Paschate inchoatur.*

Quoniam verò in diplomate suo Iasonis Argonautæ Philippus disertè meminit, libet eius nauigationem resque gestas, Græcè ab

Orpheo

Orpheo & Apollonio Rhodio, Latinè verò à Valerio Flacco decantatas, breuiter ob oculos, in virorum principum gratiam, ponere.

IASON patria Thessalus, cùm ingenti gloriæ cupiditate flagraret, Argi industria nauim insignem ædificandam curauit, multisque socijs sibi adiunctis, in his Hercule Thebano, Orpheo, Lino, Castore & Polluce, ex Thessalia soluens, ad Sigeum Troiæ promontorium, Hesionem Laomedontis filiam ab interitu vindicauit. Inde in Colchidem perlatus, *vellus* inde *aureum* auexit, hoc est auri gazam, quod per riuos è monte Caucaso dilapsum, villosis pellibus piscari quasi retibus soliti erant. Istis cum copijs, raptaque Medea, in Mœotidem paludem, Cimmerio bosphoro superato, penetrauit. Tanai mox aduerso, quo fluuio Asia ab Europa seiungitur, nauim aliquanto spatio, quà pertractam remulco, quà solutam in partes, humerisque deportatam, Sarmatico in littore rursus compegisse tradunt. Sicque Germaniæ, Galliæ & Hispaniæ otis circumnauigatis, ad Gaditanum tandem fretum constitere; in eius faucibus, monti Calpi arcem imposuere, Heracleã ab Herculis nomine nũcupatam; indeque primùm in Hispaniam, pòst ad Baleares insulas traiecere.

Iasoni nauigati. & res ge. 4.

iecere. Quarum Rege Bocori subacto, quòd nullum ijs in locis aurum inueniretur, commeatu comparato, & bobus lectissimis in naues impositis, in Italiam transmisere. Quo loco, in Auentini montis antro, Hercules Cacum, Virgilij aliorumque poetarum versibus celebratum, interfecit. Soluta rursus naui, inde per Liguriam, qua parte breuissimus in Padum traiectus est, in Adriaticum sinum delati, longissima demum nauigatione peracta, tantisque rebus feliciter gestis, læti atque incolumes, in patriam summa cum gloria rediere. Hæc de Iasone, eiusque socijs Argonautis ferè veteres tradiderunt. Itaque videri queat, istud *Philippo Bono* consilium fuisse, vt Iasonis exemplo Argonautas sociosque legeret, quibuscum, vt ille in Colchida in Aetem, sic ipse in Syriam ad Turcas debellandos proficisceretur.

Quod ad Ignilia seu Ignitabula silicem ferientia, ignemque excutientia attinet, fuit id symbolum siue emblema *Ioannis Intrepidi*, Burgundiæ Ducis Flandriæque Comitis. Quo quidem, non obscurè significatur, quanto malo potentes inter se Principes bello committantur: quo fit plerumque, vt alter alterum, cum publica vtrimque clade, in perniciem pertrahat. Sed heu symbolum

omi-

ominis plenum! Cùm enim *Ludouicum* Aurelianensium Ducem, *Caroli VI.* Galliæ Regis fratrem, *Ioannes Intrepidus* iussisset interfici, sementem profectò iecit funestissimi inter Francicam Burgundicamque familias odij, tot tantisque bellis ac cladibus, iam inde ad nostram vsque ætatem, toties, prô dolor! renouati. *Philippus* porrò *Bonus*, Intrepidi nepos, istud aui sui emblema, torqui aureo inserendũ putauit; vt & duos ac triginta cõtinẽter annos, pro indigna parentis sui cæde vindicanda, bellũ Gallis acerrimum intulit.

Huic symbolo haud absimile est illud, quo bina è lauro bacula transuersim posita, his verbis additis, *Flammescit vterque*, repræsentantur. Nam vt ea inter se collisa, teste Plinio, ignem reddunt; sic potentium inter se Principum concursu, grauissima pericula ac damna excitantur. Adeò verum illud, *Dura duris non quadrare*. Huc etiam spectare videntur bacula ista bina, quæ transuersim insignibus suis *Philippus II.* Rex Catholicus appingenda, atque in moneta nummisque repræsentanda curauit. Qua forma & *Crux Andreana* seu *Burgundica*, in signis nostris militaribus hodieque solet exprimi: etsi eius rei & alias dari interpretationes, non ignorem. Cæterùm torquem ordinis huius equestrem quidã sic interpretatus est, vt

Sic & bacula quadã Indica, seorsim per aerẽ manu agitata, ignem reddunt.

vt silicibus ferroque adscriberet, *Ante ferit quàm flamma micet*: Velleri autem, *Pretium non vile laboris*. Nonnemo per Vellus aureum *Lapidem*, vt vocant, *philosophicum* designari suspicatur: cuius vsum *Philippo Bono*, Principum sui æui longè ditissimo ac potentissimo; ab ingenioso quopiam commonstratum fuisse idem conijcit. Alij per Vellus aureum, Belgicarum prouinciarum fœcunditatem verè auream ab isto Principe notatam fuisse existimant: alij aliter sunt interpretati. Catalogum porrò Equitum, iam inde à primis temporibus ad nostram vsque ætatem adlectorum.

CAPVT II.

ORDINES EQVESTRES A DIVERSIS *Galliæ Regibus ac Principibus instituti.*

IOannes II. Galliæ Rex ordinem *Stellæ* anno 1352. Clipiaci in arce S. Audoeni, haud procul à Parisijs; Ludouicus XI. Rex anno 1469. ordinem *S. Michaelis*; Henricus III. Franciæ & Poloniæ Rex ordinem *S. Spiritus instituerunt*.

Ludouicus II. Dux Borbonius anno 1303. ordinem *Scuti aurei*; Carolus Dux Aurelianensis, Ludouici XII. Francorum Regis pater, anno 1413. ordinem *Hystricis*, Francis

Porc-

Porc-Espic; Renatus Andium & Lotharingiæ Dux anno 1464. ordinem *Lunæ crescentis* cōdiderunt. De singulis Sam-manthani fratres in historia Genealogica Regum Franciæ & alij fusè tractant.

CAPVT III.

ORDO EQVITVM S. GEORGII, *quem vulgò Garterij nuncupant, in Anglia.*

EDuardus III. eo nomine Rex Angliæ instituit *Garterium* ordinem; cui tantus deinde accessit honor, vt maximos quosque Reges non pœnituerit in id venire collegium. Sunt numero sex & viginti *Garterij* Equites (sic enim appellantur) & alius in alterius demortui locum, suffragijs reliquorum, cooptatur. Horum autem princeps eques Rex Anglus habetur: vtuntur pallio cæruleo, crus sinistrum, paullulum infra genu, corrigia fibulata, gemmis auroque ornata, cincti: à qua quidem corrigia nomen ordini inditum constat, quòd *Garter* lingua Anglica ligaculum significet, quo mulieres tibiarum tegumenta sibi ligant. Ornatur autem ista corrigia eiusmodi titulo, Gallicis verbis inscripto, *Hony soit qui mal y pense*, id est, vituperetur seu confundatur, qui malum cogitat. Ordo verò est *S. Georgio*, vt bellatorum

1350. *aut* 1344.

Illo nexu crucis monentur, vt à turpi fuga caueāt.

VVindsore opidum est cum castro siue arce adiuncta. præsidi, dicatus. Quare Equites quotannis diem illi sacrum multis cæremonijs celebrant, in templo ad Vindesorium castrum: quo loco eius collegij sedes est, opiparoque conuiuio diem illum festum agunt. Quapropter Rex *Eduardus* ibidem instituit celebre sacerdotum Collegium, qui res curarent diuinas. *Collegium XIII. Canonicorũ.* Habent isti Equites certas leges, quibus id in primis est constitutum, vt mutuò se iuuent, defendantque, ac bellando numquam in turpem sese dent fugam. Habent insuper apparitores ministros, quos *Haraldos* dicunt: quorum præfectus appellatur *Rex armorum*. Ij belli ac pacis nuntij, Ducibus, Comitibusque à Rege creatis insignia aptant, atque eorum funera curant. De caussa autem instituendi ordinis omninò ambigitur: fama tamen apud vulgus etiam nunc tenet, *Eduardum* aliquando è terra collegisse Reginæ seu amicæ ligamen tibiale, quod fortè resolutum, vt visu solet venire, deciderat: & nonnullis heroibus id videntibus, ac iocosè cauillantibus, dixisse, Breui futurum, vt eiusmodi cingulo etiam ab ipsis summus haberetur honor: atque non multò pòst istiusmodi ordinem instituisse, eumque addidisse titulum, quo testaretur ipsos heroes contrà quàm erat, de se iudicium fecisse. Hæc in vulgo est

fama. Atqui ſcriptores Anglici verecundè ſuperſtitioſi, fortè timentes ne imminutæ maieſtatis regiæ crimen ſubirent, ſi tale quid vt minùs inſigne prodidiſſent, maluerunt id tacitum relinquere: perinde quaſi nunquam aliàs viſum fuiſſet, rem ab initio à parua ſordidaque origine ortam, magno pôſt incremento, dignitateque auctam. Proinde origo vera *Garterij* ordinis non erat prætereunda ſilentio, etiamſi profecta eſſet ab amore: de quo Ouidius canit: *Nobilitas ſub amore iacet.* Quocirca famam vulgi de iſtiuſmodi inſtituti cauſſa non omninò vanã dixerim. *Eduardus* item, cùm *D. Georgium* ſuæ militiæ præſidem optaſſet, poſtea ipſi armato, & equo inſidenti, appinxit ſcutum album, rubra cruce perinſigne: dedit & militibus ſuis ſaga alba, vtrimque binis *crucibus* pariter *rubris* munita, quæ ipſi ſuper armaturam induerẽt vt non minùs decorum, quàm magnificum eſſet, videre Anglicanas legiones armatas inſtar orientis Solis procul albeſcere, micare, fulgere; cùm aliarum nationum milites velut gregarij veſtitus colore minimè internoſcantur. Sic ferè Polydorus Vergilius hiſtor. Anglicanæ lib. 19.

Hæc itaq; vulgi eſt opinio, longa traditione veluti per manus accepta, Equeſtre iſtud Collegium ſuam debere originem faſciolæ

heroidis seu Comitissæ Sarisburiensis, casu è tibia delapsæ, protinusque à Rege *Eduardo* peramante collectæ. Pro qua quidem opinione facere videtur & titulus ipse equestri fasciolæ inscriptus, *Hony soit qui mal y pense*, itemque Fressardus lib. 1. cap. 76. 88 & 99.

In descriptione Britanniæ. Cæterùm Gulielmus Camdenus, à fasciola seu periscelide Regis *Eduardi*, in prælij, quod feliciter cesserat, tesserâ data, equestri huic collegio *Garterij* nomen inditum fuisse existimat: *Inter Bibrocos*, inquit, *floret VVindsore, Saxonicè VVyndlesora. Situm certè amœniorem sedes regia vix habere possit. Clementer enim ex edito colle, iucundissimo in orbem fruitur prospectu. A fronte vallem despectat longè lateq; procurrentem, aruis distinctam, pratis viridantem, nemoribus hinc inde vestitam, & placidissimo Tamisi irriguam. A tergo colles passim exsurgunt, nec asperi, nec praealti, saltibus coronati, & venationi à natura ipsa quasi dicati. Hac loci amœnitate pellecti Reges, sæpissimè huc secedunt: & hic ad Galliam vincendam natus est* Eduardus III. *Rex potentissimus, qui hoc castrum quasi vrbis æmulum fossis & propugnaculis ex quadrato saxo munitissimum de integro construxit; statimque debellato Gallo ac Scoto*, Ioannem *Regem Galliæ &* Dauidem *Scotiæ, in hoc captiuos vno eodemq; tempore tenuit. Diuiditur hoc castrum in duas areas; interior, quæ ad ortum, spectat aulam regiam, quà ædifi-*

ædificiorum descriptione nihil illustrius, nihil est splendidius. Ad cuius Borealem partem, quà flumen despectat, Elisabetha *Regina,* Herici VIII, *filia, subdiale ambulacrum adiecit longè amœnissimum. Exterior area in ipso primo ingressu templum habet augustissimum* B. MARIÆ *Virgini &* S. Georgio *Cappadoci ab* Eduardo III. *consecratum; sed ad eam, qua nunc cernitur, magnificẽtiam ab* Eduardo IV. *perductum. Hic* Eduardus III. *vt militarem virtutem honoribus, præmijs, atque splendore decoraret, nobilissimam con-* 1350. *scripsit Equitum auratorum societatem, quos ob periscelidem suam, in prælij, quod fœliciter cessit, tesseram datam,* Garterij *siue* Periscelidis *Equites nominauit: qui cærulea periscelide aureis litteris Gallicè inscripta,* Hony soit qui mal y pense, *sinistram tibiam substringunt. Alij tamen huius ordinis inuentionem multò antiquiorem faciunt, & ad Regem* Richardum I. *referunt,* Eduardumque *tantùm reduxisse credunt. In ipso enim institutionis libro, quem* Guil. Dethicus, *principalis armorum Rex, Garterij nomine insignis, mihi ostẽdit, sic legitur:* Richardo, cùm contra Turcas & Agarenos versus Cyprum & Aconem moueret, longiorisque moræ pertæsus esset, dum mira solicitudine traheretur obsidio, tandem illabente, per *D. Georgij*, vt opinatum est, interuentum, spiritu, venit in mentem, vt quorundam electorum militum cru-

Alij ordinem Garterij à Richardo I. Rege institutum volunt.

ribus coriaceum subfibulum, quale ad manus tunc solum habebat, induceret: quo futuræ gloriæ memores ex condicto si vincerent, ad rem fortiter ac strenuè gerendam expergefierent, ad Romanorum instar, apud quos illa coronarum varietas, quibus varijs de caussis donati sunt & insigniti milites; vt his velut irritamentis excussa vecordia, virtus animi fortitudoque pectoris feruidior exsurgeret atque exsiliret. *Cæterùm in hanc societatem potentissimi quique orbis Christiani Principes cooptari, instar maximi honoris duxerunt: & iam à prima institutione, in hunc ordinem, qui è XXVI. Equitibus constat, Reges adscripti fuerunt plus minùs XX. præter Angliæ Reges, qui eiusdem Præsides habentur: vt Duces & alios maximi nominis taceam.*

A sinistra templi, ædes sunt Decani & prebendariorum siue Canonicorum XII. A dextra est quasi prytaneum, in quo aluntur emeritis stipendijs prouectiori ætate milites duodecim, honestiore loco nati, qui quotidie rubra toga ad talos demissa vestiti, cui lacerna purpurea inducitur, sacris interesse tenentur, precibusq́; pro Equitibus apud Deum intercedere. Inter vtramque aream intereminet moles, cui arx rotunda imponitur: iuxta quā alia arx edita surgit VVinchestertovver, ab Episcopo VVintoniensi VVicchamo, quem Eduardus III. *operi præfecit, appellata.* Hactenus Camdenus.

Præ-

Præter *Garterij* ordinem, hodieque apud Anglos notiſſimum, lego olim & *Menſæ orbicularis verſatilisq;* Equites, ab *Artho* Britanno circa ann. 1390. inſtitutos, ea in Inſula floruiſſe. *Equites menſæ rotundæ.*

CAPVT IV.

ORDO EQVITVM ANNVNTIATIONIS Angelicæ, apud Sabaudos.

AMadei IV. cognomento *Magni*, Sabaudiæ Comitis potiſſimùm virtute ac fortitudine, anno ferè CIↃ.CCCX. ipſo Aſſum- 1310.
ptionis Deiparæ feſto die, *Rhodum* inſulam Turcis ereptam, Chriſtoque adſertam, paſſim memorant hiſtoriæ. Ex quo quidem tẽpore, tradunt Sabaudiæ inſignia, ſcuto Equitum Ieroſolymitanorum *S. Ioannis*, Cruce ſcilicet argentea in rubri coloris clypeo, ipſis petentibus Equitibus in nauatæ virtutis præmium decorata fuiſſe. Ortum inſuper ab iſta Rhodi expugnatione illud quatuor litterarum ſymbolum, FERT, Sabaudiæ Regulis hodieque proprium. Cuius quidem ſymboli variæ traduntur interpretationes: ſed iſta omnium veriſſima, FORTITVDO
EIVS RHODVM TENVIT. Cæterùm Eque- 1350.
ſtre iſtud ſodalitium in honorem Annũtiationis Angelicæ Amadeus eo nomine VI. Sabaudiæ Comes inſtituit, primæ nobili-

 tatis

tatis viris XIV. adlectis: quos aureo ſingulos torque donauit, ex quo laciniæ aliquot pendentes, & nodis (vt vocant) Sabaudicis inter ſe connexæ, dictionem iſtam FERT (Amadei Magni, vt diximus, ſymbolum) ſingulæ repræſentabant: imagine Virginis Mariæ ab Angelo ſalutatæ appenſa. Et ne quid deeſſet, idem Amadeus VI. paulò poſt inſigne Carthuſianorum, loco qui *Petri Caſtelli* nomine innoteſcit, monaſterium conſtruxit: in quo pro illius ſodalitij Equitum ſalute perpetuæ ad Deum preces funderentur. Cauitque vt quotannis, feſto Annuntiationis Deiparæ die, Equites omnes, ad ſacra ibidem ſimul celebranda, conuenirent; vtque in defunctorum tunc locum alios Sabaudiæ Princeps ſufficeret.

CAPVT V.

BANDÆ MILITIA, OLIM IN Hiſpania nobilis.

VIctoria vrbs eſt Caſtellæ, in qua noua militia ab *Alfonſo* Caſtellanorum Rege excogitata inuectaque eſt, *Bandæ* nomine. Cæterùm *Banda* vulgari Hiſpanorum lingua tænia eſt, quam noui milites rubro colore, quatuor latam digitos, à dextro humero ſub ſiniſtro brachio, corpori circumducebant, honoris inſigne. Ingenui tantùm,

tùm, & qui decem minimùm annis in castris aulaque versati essent, ad eum ordinem sunt adlecti: nobilium modò filijs maioribus exclusis. Rex ipse vniuersæ societatis Magister institutus. Eo honore iuuenes nobilissimi ad res maximas capessendas perficiendasque inflammati: qui longo tempore in magno pretio habitus, consequentium Regum gnauia, rerumque humanarum inconstantia, in desuetudinem abijt, vt ne vestigium quidem exstet. Sic ferè Ioannes Mariana, Rerum Hispaniæ lib.16.cap.11. De hoc ipso Equitum *Bandæ* collegio fusè tractant Antonius Gueuarra, Mondonedi Episcopus, & Paulus Morigia, lib.2. Orig. Monast.cap.9.

Fuerunt & alia olim equestria ornamenta, à Regibus Hispaniæ excogitata. *Ioannes I.* Castellæ Rex, paulò ante vitæ finem, Segobiæ, ipso *D.Iacobi* festo die, insigne excogitarat, *columbæ* effigiem ex aureo torque, radijs distincto pendentem nobilibus aulicisque proceribus ad præclara facinora *Henrici II.* aui exemplo, honoris specie obiecta incitamentum. Verùm morte eius intempestiua, res ea priusquam confirmaretur, euanuit.

Circa an. 1390.

Ordo Equitum Columbæ.

CAPVT VI.

ORDO EQVITVM REDEMPTORIS IESV CHRISTI, *apud Mantuanos.*

MAntuam constat antiquitate ac venustate cum quauis Italarum vrbium certare posse. Ne quid igitur deesset, *Vincentius Gonzaga*, Mantuæ IV. & Montis-ferrati II. Dux, in nuptijs filij sui *Francisci* cum *Margarita Sabauda* anno 1608. celebratis, illustre XX. Equitum collegium, in honorem REDEMPTORIS IESV CHRISTI Paulo V. Pontif. Max. approbante, instituit; religioni orthodoxæ in primis tuendæ ac propagandæ. In honorem, inquam sacrosancti Sanguinis IESV CHRISTI, cuius guttulæ aliquot, à S. Longino Centurione & martyre, vt traditur, collectæ, Mantuæ in D. Andreæ basilica, cum parte Spongiæ Dominicæ, eiusdemque Apostoli reliquijs, magna religione adseruantur. Baltheum equestrem aureum (cui præter vetusta gentis Gonzagæ insignia, ista ex Psalmo Dauidico LX. *Domine probasti* sunt inscripta) ipse *Vincentius* Dux, filio *Ferdinando* S. Rom. Eccl. Cardinale tradente, in palatij sacello, festo Pentecostes die, primus accepit. Idem Cardinalis, auctoritate Apostolica, parentem suum Ordinis istius

istius principem ac præsidem renuntiauit: estque is honos ad successores, vnà cum imperio, transiturus. Eodem ipso Pentecostes die, *Vincentius* Dux in D. Andreæ basilica, *Franciscum* filium natu maiorem, & viros insuper quatuordecim nobilissimos equestri suo collegio adscripsit, singulosque torque istius generis aureo donauit. Ad hæc perpetuum huius equestris societatis *Cancellarium* esse voluit eum, qui Canonicorum S. Andreæ collegio præest, quemque *Primicerium* vulgò vocant; *Secretario* vno ad cætera curanda adlecto.

CAPVT VII.

ORDO EQVITVM S. STEPHANI, in Etruria.

C*Osimus Medices*, Florentiæ & Senarum Dux II. vt oram Italiæ maritimam à Turcarum Maurorumque incursionibus securam redderet, classemque ad expeditiones contra eosdem suscipiendas, non solùm rebus necessarijs, sed & hominibus rei ma- 1351.
ritimæ gnaris optimè instructam haberet; Equitum ordinem, sub regula *S. Benedicti*, instituit, dotauitque, à *S. Stephano* Papa ac martyre cognomento indito, renouataque victoriæ ad Marcianum de hostibus anno 1556.
CIↃ. IↃ. LVI. Idibus Sextilis (qui dies

S.Ste-

S.Stephano ſacer) partæ memoria. Id *Pius* IV. P. M. diplomate anno CIↃ.IↃ.LXI Kalendis Februarijs dato, approbauit. Ipſe Coſmus ſibi ac ſucceſſoribus ſuis, Florentiæ Ducibus, principatum ac magiſterium ordinis ſumpſit, templumque Equitibus ac domicilium *Piſis* & in Ilua inſula attribuit, & leges ab ipſis religioſè obſeruandas con-
1595. didit: quas à ſe auctas *Ferdinandus Medices*, magnus Etruriæ Dux III. Coſmi filius, Florentiæ typis eulgandas curauit. Viuunt autem, vt dixi, ex præſcripto regulæ S.Benedicti; etſi à matrimonio non arceantur, nec ad vitam cœlibem, vt Ieroſolymitani & Teutonici hodieque milites, vlla lege adſtringantur. Geſtant verò pro inſigni *Crucem rubram*, chlamydibus pectorique adſutam.

CAPVT VIII.

ORDO EQVITVM S. MICHAELIS *in regno Neapolitano.*

ORdinem hunc inſtituit Ferdinandus eo nomine primus Rex Neapolitanus, in memoriam S.Michaelis Archangeli, Apuliæ patroni, qui Gelaſij primi Papæ temporibus, in Apulia in vertice Gargani montis (ad cuius radices habitant Sipontini) apparuit. Quam apparitionem anniuerſario ritu die 8. Maij Eccleſia celebrat. Caput ſeu

Præſes

Præſes ordinis erat ipſe Rex Neapolitanus; geſtabantque Equites albam togam talarē, notis Pontici muris, quas vulgò *Ermines* vocant, ſignatam, & torquem aureum ex collo pēdentē littera o notatum, addito ſymbolo, *Decorum*. In S. Michaelis, & huius ordinis Equeſtris memoriam, Ferdinandus Aragonius Calabriæ Dux, Ferdinandi Regis Neapolitani filius (quem anno M.D.I. Rex Catholicus regno exuit) inſigne monaſterium Hieronymianorum prope Valentiam in Hiſpania ædificauit; vbi & anno M.D.L. moriens eſt conditus: vt tradit Ioſephus Seguntinus in tertia parte hiſtoriæ ordinis Hieronymiani, anno M.DC. Madriti Hiſpanicè edita.

CAPVT IX.

ORDO EQVITVM LILII, APVD *Nauarræos & Aragonios.*

GArzias VI. Nauarræ Rex hunc ordinem apud Nauarræos, ſi Petro Beloyo credimus; Ferdinandus Aragonius (quem Infantem Antiqueræ nuncupant) apud Aragonios, vt Hieronymus Zvrita tradit, 1403. condiderunt, & honori Deipatæ conſecrarunt. Teſſera ordinis fuit Vaſculum, Lilijs candidis plenum, cum imagine eiuſdem Virginis-Matris.

CAPVT

CAPVT XI.

EQVITES VRSI, ALIAS SANCTI *Galli, apud Heluetios.*

SOloduri apud Heluetios in Canonicorum basilica, à Bertha Caroli Magni coniuge ædificata, quiescit S. Vrsus, martyr ex legione Thebæa. In eius honorem Fredericus II. Imperat. anno 1213. ordinem Equestrem instituisse dicitur, cùm ad Sancti Galli monasterium fortè diuertisset. Apud monachum S. Galli in illius cœnobij historia sic legitur: *In die festo Sancti Galli* (hoc est die 17. Octobris) *mos est, vt nocte præcedenti, Vigilijs factis, gladijs super maius altare positis & benedictis, noui milites ab Abbate militari cingulo & Vrsi torque aureo decorentur, post obsequium monasterio nostro & Abbati præstitum.* Floruit hic ordo apud Heluetios vsque ad tempus quo, pulsa Nobilitate, Rempublicam condiderunt.

* * *

CAPVT

CAPVT XII.

ORDO EQVITVM S. ANTONII, *apud Hannonios.*

ALbertus Bauarus, Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ Comes, cùm expeditionem sacram aduersus Turcos ac Mauros meditaretur, ordinem Equitum S. Antonij anno 1382. instituit: quibus templum, ad Barbaræ fossam prope Haurechium, primo lapide à Montibus Hannoniæ, attribuit. Equitum insigne erat torques aureus, in formam eremiticæ cordæ contextus, cui scipio seu fulcrum, cum campanula aurea appendebat. Idem Albertus Ziricææ in Zelandia Collegium Canonicorum S Liuini, anno 1378. instituit ac dotauit. Obijtque anno 1404. Hagæ Comitis in Hollandia sepultus; relictis liberis, Guilielmo IV. Hannoniæ Hollandiæque Comite, Ioanne Episcopo Leodiensi, Margarita Ioannis Intrepidi Burgundiæ Ducis Flandriæque Comitis vxore, Ioanna Alberto Archiduci Austriæ. & Catharina Eduardo Duci Geldriæ, nuptis.

CAPVT XIII.

ORDO EQVITVM S. IACOBI, IN *Hollandia olim celebris.*

ANno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, Florentius Comes Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ, in publico atrio sui palatij Hagensis, dedit insignia sui ordinis Equestris, S. Iacobo Sacri, duodecim primarijs proceribus; quorũ hæc sunt nomina:

Theodericus Comes Cliuensis.

Lancellottus Dominus de Hamelton, Legatus Henrici Regis Scotiæ.

Godefridus Dominus de Boicholt, Legatus Westphaliæ.

Dominus Henricus Comes de Henneberg, Legatus Coloniensis.

Theodericus Dominus de Brederode.

Ioannes Dominus de Heusden.

Ioannes Dominus de Arckel.

Theodericus Dominus de Linden.

Otto Dominus de Asperen.

Iacobus Dominus de Wassenar.

Gisbertus Dominus de Amstel.

Hugo Dominus de Vianen, Equites.

Qui omnes iuramentum præstiterunt super sacris Euangelijs, in manibus Domini Ioannis Episcopi Vltraiectensis, & pro pignore sua scuta atque insignia gentilicia re-

liquerunt. Singuli autem acceperunt torquem ſeu balteum argenteum inauratum, cum ſex cochleis, & imagine S. Iacobi appenſa, ponderis vnius marcæ cum media argenti. Dictorum autem Equitum ſcuta ſeu inſignia Ioannes Paypaert, Scutifer & Heraldus Hollandiæ, penes ſe recepit; ſuntque ea ſuſpenſa in magno atrio palatij Hagæ Comitis, in teſtimonium rei geſtæ.

Sunt hæc extracta ex veteri codice Teutonico, quem vocant Regiſtrum Equeſtre, *Regiſter der Ridderſcap*, in Haga Comitis, & Latinè per nos fideliter reddita.

CAPVT XIV.

ORDO EQVITVM S. HVBERTI *apud Iuliacenſes ac vicinos populos.*

SAnctus Hubertus Leodicenſium Epiſcopus laudatiſſimus (quem viri nobiles ac venatores vt ſuum patronum colunt) anno ſeptingenteſimo viceſimo ſeptimo in Domino obdormiuit. In Sancti Huberti honorem Gerardus Dux Iuliacenſis ac Montenſis circa annum Chriſti 1473. vel 1477. ordinem Equitum inſtituit, & leges lingua Germanica præſcripſit, quæ apud Cortembachios in agro Falcomontano & a-

& alios alibi manuſcriptæ exſtant; vnà cum Catalogo Equitum illius Ordinis, atque inſignibus gentilicijs eorumdem, vſque ad annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum octogeſimum ſeptimum. Inter proceres huic ordini adſcriptos leguntur Comites Limburgij, Tecklemburgij, Naſſouij, itemque Barones Merodij, Pallantij, Plettembergij, Sombreffij, Birgelij, Vlatteni, Bungartij & alij.

CAPVT XV.

EQVITES SANCTI PETRI, S. Pauli, Lilij, Pij & Lauretani apud Romanos, & alii alibi.

PAVLVS V. Papa anno 1605. die 5. menſis Iunij diploma edidit, in quo omnibus & ſingulis Officialibus Romanæ curiæ præſcripſit, quem Ordinem in procedendo ſeruare debeant in ſolemni ſupplicatione ſanctiſſimi Corporis Chriſti, quotannis feria quinta poſt feſtum S. Trinitatis celebrari ſolita. Inter cæteros Officiales numerantur ac recenſentur Milites *Sancti Petri*, Milites *Sancti Pauli*, Milites *Lilii*, Milites *Pii*, & Milites *Lauretani*.

Equites *S. Petri* Leo X. Papa anno 1520. instituit. Gerunt effigiem S. Petri ex torque aureo pendentem.

Equites *S. Pauli* anno 1540. Paulus V. Equites *Pios* 1560. Pius IV. Pontifex, Equites *Lauretanos* anno 1587. Sixtus V. instituerunt. Paulini effigiem *S. Pauli*, Pij imaginem *S. Ambrosij*, Lauretani effigiem *Deiparæ* ex collo pendentem gerunt.

Apud Venetos, vt audio, Equites *S. Marci* creari solent; quem illi vt patronum ac Reipublicæ suæ tutelarem colunt. Sic Genuenses *S. Georgium* peculiari cultu venerantur.

CAPVT XVI.

ORDO EQVITVM MILITIAE CHRIstianæ, titulo beatissimæ Virginis Mariæ, & S. Michaelis Archangeli.

HVius ordinis fundamenta iacta sunt, anno 1618. die 16. Nouembris Olmutij in Morauia, in monasterio Capucinorum, à Carolo Gonzaga, Duce tunc Niuernensi, postea Mantuano, Adolpho Comite ab Althan, & Ioanne Baptista Petrignano Sfortia. Quem ordinem postea anno 1621. Gregorius XV. Pontifex Romanus, Ferdinandus II. Imperator, & alij Principes comprobarunt. Fuit autem institutus ad defensionem

ſionem ac liberationem Chriſtianorum ab infidelibus oppreſſorum, & ad Reipublicæ Chriſtianæ propagationem ac concordiam; formula his ferè verbis concepta:

Quoniam præcipuum munus Chriſtianæ Nobilitatis eſt, vt Reipublicæ Chriſtianæ libertatem & pacem domi foriſq; nunc togata, nunc armata vindicet ac conſeruet; nos Carolus Dux Niuernenſis, Adolphus Comes ab Althan, & Ioannes Bapt. Petrignanus Sfortia, præſens inſtitutum ordinis Militiæ Chriſtianæ, ſub titulo beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Dei, & S. Michaelis Archangeli, communi noſtro conſilio conſcripſimus, iuxta tenorem Vnionis inter nos firmatæ. Teſtamur autem coram Deo omnibus & ſingulis per fidem & Nobilitatem noſtram, nos in hoc Chriſtiano negotio, in quo cum noſtris facultatibus vitam ipſam Deo conſecramus, nullam aliam mentem habere, præter ſuprà inſinuatam, quam à Deo ſemel inſpiratam tenaciſſimè conſeruamus.

CONDITIONES RECIPIENDO-rum in hunc Ordinem.

I. Sit ex legitimo matrimonio natus: exceptis Imperatorum, Regum & eorum Principum, quibus ſubduntur immediatè Marchiones & Comites, filijs naturalibus.

II. Deducat, iuxta morem patriæ & nationis,

ſuam Nobilitatem ex quarto gradu aſcendentis linea paterna & materna. Excipitur tamen ille, quem propria vel maiorum ſuorum virtus euexiſſet ad titulum Principis aut Generalis exercitus &c. Nos igitur ſupra nominati hoc inſtitutũ, noſtramq́; communem à Deo inſpiratam intentionem ratam ac firmam eſſe volentes, in quantum noſtri iuris eſt, propria ſubſcriptione & ſigillo communiuimus. Actum Olmutij in monaſterio fratrum Minorum, nuncupatorum Capucinorum, die 16. Nouembris anno 1618.

Hoc inſtitutum in formam præſentem iuſtis de cauſsis à nobis redactum eſt Viennæ Auſtriæ, die 8. Martij anni milleſimi ſexcenteſimi decimi noni.

Signum Crucis vniuerſale omnium Equitum erit cæruleum aureum, cuius duo latera ſeſe interſecantia ad angulos & portiones inter ſe æquales efflorèſcant ex circulo ducto circa punctum interſecationis per quartam partem eorumdem laterum; ſingulis videlicet lateribus vtrimque à puncto interſecationis, & circuli peripheria ad rationem anguli acuti ſenſim dilatatis, ſingulorumq́; baſibus ad efformationem trium maiorum ſegmentorum ouatæ figuræ trifariam implicatis.

Hæc Crux circa oram ambabus eiuſdem planis ſuperficiebus cæruleo encauſto, folijsq́; aurijs quaqua verſum vniformiter in vtraque Crucis parte exornetur. Eadem mediam excipiat imaginem beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ in medio Solis, veſte

aurea

aurea & pallio cæruleo, duodecim stellis coronata, Lunam falcatam sub pedibus habens, læua filium Iesum, dextra sceptrum aureum teneat. vtrobique ducto S. Francisci albo cingulo per circulorum peripheriam; ab altera verò parte imaginem S. Michaelis Archangeli, etiam in sole veste candida amicti, Cruce Saluatoris à pectore ad pedes vsque insigniti, cum eadem & pedibus draconem conculcantis, manu dextera gladium eleuatum vibrantis. Crux superiùs descripta radium habeat, quatuor eiusdem partes intersecantem.

Commendatorum eadem erit Crux, præterquàm quod duobus radijs, & vna linea vel radio minore intermedio à præcedenti generali; Priorum verò tribus radijs, & quatuor lineis vel radijs minoribus flammulis exinde micantibus, ad totidem Crucis partes, distinguitur. Radij verò maiores, foliaq; Crucium omnium, quoad longitudinem & latitudinem, erunt æqualia. Priores verò soli Crucem torque aureo insignitam, ex quindecim stellis & quindecim nodis S. Francisci Seraphici compositam gestabunt.

(*,*)

CAPVT XVII.

CRVCIATAE EXPEDITIONES AB *Europæis contra Saracenos instituta.*

SAcras expeditiones; quas CRVCIATAS vocant, contra Saracenos multas, superioribus sæculis, maiores nostri, summa cum laude ac fructu, instituerunt.

PRIMA ann. 1096. Vrbano II. Pontifice, instituta est, Petro Eremita incentore: in qua *Godefridus Bullonius*, Lotharingiæ inferioris Dux, & S. R. I. ad Schaldim Marchio, eminuit. Is castrum suum Bullonienſe, in vſum belli sacri, Otberto Epiſcopo Leodicenſi vendidit. Præter fratres ſuos Germanos *Balduinum* & *Euſtachium*, ſocios habuit *Robertum* Flandriæ, & *Balduinum* Hannoniæ Comites, alioſque Belgas nobiles plurimos. Hieroſolymitana vrbe (quam anno 636. Saraceni Chriſtianis eripuerant) à noſtris anno demùm 1099. recepta, GODEFRIDVS, communi omnium ſuffragio, Rex eſt renunciatus.

SECVNDAM expeditionem anno 1001. Inſubres, Germani ac Galli ſuſceperunt: cui *Stephanus* Burgundiæ Comes, & *Gulielmus* Comes Niuernenſis interfuerunt.

TER-

TERTIAM anno 1146. Eugenius Papa per S.Bernardum, Claræ-Vallis Abbatem, publicauit: Ordines in ea duxerunt, *Conradus* Imperator, *Ludouicus* Galliæ Rex, *Theodericus* Flādriæ Comes, & *Gualterus Bertoldus* Grimbergæ Dominus. Illud memoria dignum est, Brabantos, Flandros, Hollandos & Anglos, versus Syriam nauigantes, in Hispaniam deflexisse, & *Olisiponem* anno 1147. Mauris eripuisse, post quatuor mensium obsidionem: vt Robertus Abbas Montēsis, illorum temporum scriptor, in Chronico suo, & alij narrant. III.

QVARTA anno 118. contra *Saladinum*, qui Hierosolymam nostris abstulerat, est instituta; in qua primi fuere *Fredericus* Cæsar, *Philippus* Galliæ Rex, *Otho* Geldriæ, *Theodericus* Cliuiæ, Comites, & *Iacobus Auesnensis*. IV.

QVINTA sub Cœlestino Papa, an. 1195. ductu Henrici Imperatoris. Aderant *Fredericus* Leopoldi suprà memorati filius, *Henricus* I. Brabantiæ Dux, *Henricus* Henrici Leonis filius, Comes Palatinus Rheni, & *Hermannus* Hassiæ Landgrauius. Cæsa innumerabilis hostium turba, captis duobus Saladini filijs. V.

SEXTA expeditio, sub Innocentio III. Papa, *Constantinopolim* Latinis subdidit; cui VI.

BALDVINVS, Flandriæ Hannoniæque Comes, anno 1204. datus est Imperator. Birflitani turrim portui imminentem occuparunt, & muros captæ vrbis ex primis conscenderunt: vt Ioannes Zonaras narrat. Vnde in vexillo ac sigillo hodieque præferunt quatuor B. Græca; quæ sunt vrbis Constantinopolitanæ insignia.

VII. SEPTIMA sub Honorio III. Pontifice, anno 1217. ductore Andrea Hungarorum Rege, S. Elisabethæ patre. Interfuerunt *Leopoldus* Austriæ Dux, *Henricus* Niuernensis, *Guilielmus* Hollandiæ, & *Adolphus* Montensis, Comites. Ex his Guilielmus, in Lusitaniam delatus, quatuor Maurorum Reges fugauit, quatuordecim millibus hostium cæsis. Damiata Ægypti vrbs, post longam obsidionem, anno 1219. à nostris est expugnata: quam primi Harlemenses intrarunt, disrupta catena ferrea, portui innatante.


VIII. OCTAVA anno 1228. à Frederico II. Imp. instituitur. Secuti sunt *Henricus* Brabantiæ Dux, & *Ludouicus* Thuringiæ Princeps, S. Elisabethæ maritus. Hierosolyma Saracenis est erepta anno 1229.

IX. NONA sub Innocentio IV. anno 1245. duce S. Ludouico Galliæ Rege: cui Comes fuit frater *Robertus*, Artesiæ Comes, & alij proceres innumerabiles.

DECI-

DECIMA anno 1268. ab eodem Ludouico Rege suscepta, cum tribus filijs, *Theobaldo* item Nauarræ Rege, & *Guidone* Flandriæ Comite. Medio in cursu Tuneti moritur S. Ludouicus. Exinde per Nicolaum IV. Bonifacium VIII. Clementem V. Pium II. aliosque Pontifices, pluries contra Saracenos expeditiones sunt publicatæ, sed irrito ferè conatu; idque ob Christianorum inter se Principum dissidia, quæ Christianum hodieque orbem (prô dolor) turbant ac lancinant. X.

* *
*



F I N I S.

INDEX.

INDEX.

S. Geor-

Mensæ

FINIS.



APPROBATIO Censoris.

EQVESTRIVM & Militarium Ordinum origines R.mi Domini AVBERTI MIRÆI Cathedralis Antwerpiensis Decani &c. ex commissione D. ordinarij librorum Censoris perlegi; Nihilque fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium: sed multam eruditionem, admirationem etiam, atque incitamentum veræ veterum militaris virtutis Religionisque illas complecti, attestor. Signatum Coloniæ 1638. 12. Martij.

ÆGIDIVS GELENIVS L.
CAN. S. ANDR.